



DOMI NUS ILLU
MINA TIO MEA
Taylor Institution.

De

Francicae linguae

recta pronuntiatione,

Theodoro Beza

auctore.

Genevae,

Apud Eustathium Vignon.

MDLXXXIIII.

Berolini 1868. Parisiis
sumptus fecit venundat
Ferdinandus Schneider. A. Franck bibliopola.



Lectori benevolo

A. Tobler

S. P. D.

Eorum qui Theodori Bezae de recta Francicae linguae pronuntiatione libellum vel perlectum habent vel noverunt quae inde Diezius ad illustrandam veterum Francogallorum pronuntiationem desumpsit, Livetus multo plura in sermonem francogallicum vertit, neminem esse existimo qui dubitet, quin maximi sint pretii quas de aequalium loquela et bene loquentium et provinciarum suarum usus secutorum auctor reliquit notitiae. Duodecimo scilicet aut tertio decimo post Christum natum saeculo urbanorum Galliae hominum linguam pariter sonasse atque Bezae, qui tribus post saeculis floruit, non erit qui credat, praesertim quum moneat Genini

exemplum, quousque abducatur erroris, quicunque in recentiorum grammaticorum operibus prisci sermonis rationem doceri confidit. Neque fugiet quenquam, etiam eis in rebus interdum errasse Bezam quae ad verum dissertationis argumentum propius pertinent, ut ubi de accentibus tractat; ubi Carnutum propriam participiorum in *eu* desinentium pronuntiationem reprehendit, quam ille vitiosissimam dicit, genuinam nos esse scimus; ubi, quanquam unam tantum syllabam cuiusvis vocabuli produci antea docuit, tamen spondaica dicit vocabula quaedam; ubi, licet ipse *hasle, isle* scribat, *s* unquam antecedere *l* literam negat. Nihilominus dignissimum mihi quidem Bezae opusculum videtur qui a linguae Francogallicae vetustioris studiosis legatur; neque quum Ferdinandus Schneider de opportunitate novae faciendae editionis me consuluisset, non laudare potui alacris viri propositum, expertus et ipse, quam rara per bibliothecas reperiantur libelli exemplaria. Sed non sufficiebat, dissertationis verba, qualia typis Eustathii Vignon Genevensis anno MDLXXXIV expressa erant, quam

accuratissime fieri poterat, lecturis obtulisse; tot scatebat, nescio utrum auctoris an typographi incuria, erratis; neque dubium mihi quidem, quin tu quoque, candide lector, consentias, editionem illam diligenter fuisse castigandam, ubi noveris, Eustathium pro si pag. 4 vs. 3 novae editionis scripsisse sit, pro generis p. 4 v. 8 genere, pro observat p. 7 v. 16 observet, pro proceleusmaticis p. 10 v. 26 pro celeumaticis, pro leens p. 16 v. 4 Ceens' pro parte p. 17 v. 14 patre, pro distinguunt p. 17 v. 15 distinguit, pro Romani p. 19 v. 2 Romanum, pro quod p. 19 v. 7 quem, pro vocali p. 20 v. 5 consonante, pro ipsas p. 21 v. 4 ipsius, pro sch et schelm p. 23 v. 4, 5 ch, chelme, pro rique p. 23 v. 11 rigue, pro breviere (?) p. 25 v. 14 brevere, pro post p. 31 v. 11, 14; p. 32 v. 15, 16, 17, 19 ante, pro ante p. 33 v. 23 post, pro ante ... rogne p. 33 v. 24 post ... rongne, pro ante p. 33 v. 25, 26 post, pro in *n* desinit p. 34 v. 26 in *n*, pro A. Gellius p. 35 v. 17 Agellius, pro

cousin . . . courin (? cf. p. 89 v. 24) p. 37 v. 19, 20 courin . . . cousin, pro suo sono proferatur p. 46 v. 18 suo proferatur, pro audiantur p. 48 v. 9 audiatur, pro fitque p. 48 v. 11 fiuntque, pro *ὁμοιοτέλευτα* (sic enim p. 53 v. 2 scribendum) *ὁμοιτελεύτα*, pro engraveure p. 53 v. 3 engrauure, pro *πλατειάζοντας* p. 54 v. 14 *πλαταίζοντας*, post ennuijer p. 55 v. 12 verba adjecisse, quibus ibi locus non est, haecce: „tum ante *i* simplex, ut *ieux* (oculi), *vieux* (veteres) monosyllaba“, pro *oeu, oei, uei* p. 58 v. 3 scripsisse *iei, ueu, oui*, pro oneravit p. 65 v. 28 onerarunt, pro *i* et *n* p. 66 v. 1 *i* et *u*, pro *c* litera p. 67 v. 15 *s* litera, pro praepositione p. 71 v. 27, p. 72 v. 23 propositione, pro horeloge p. 76 v. 12 herologe, pro *n* pro *u* p. 78 v. 3 *u* pro *n*, pro *n* p. 78 v. 17 *m*, verba Excipe *ils* et quae sequuntur usque ad etiam *l* quiescente, quae nunc p. 79 v. 25 leguntur, posuisse post verba legiste, sophiste et similia quae p. 82 v. 1 reperiuntur, pro *sc* p. 80 v. 6 scripsisse

sl, pro quo *s* sonat p. 81 v. 18 una *s* sinat, pro duae p. 87 v. 21 tres, pro ⏑—⏑ p. 88 v. 23 ⏑⏑—, pro ⏑⏑—⏑ p. 89 v. 20 ⏑——, pro *alesne* ⏑—⏑ p. 90 v. 13 *alesne* ⏑—⏑—⏑, pro *esperonne* —⏑⏑⏑ p. 90 v. 14 *esperonne* —⏑⏑, pro *dosnoijer* (?) p. 90 v. 18 *dosouijer*, pro aestate ⏑⏑ p. 90 v. 20 aestate ⏑—⏑, pro aversae p. 92 v. 12 adversae et alia huiusmodi non pauca. Immo etiam si plura mutavissem, minime dubito, quin tibi probatus essem, ut si scripsissem *par l'air* p. 15 v. 1 pro *parlair*, *siin*, *chiin*, *chrestiinte* p. 16 v. 18, 26 pro *siien*, *chiien*, *chrestiiente*, *gn* p. 34 v. 2 pro *on*, separatum p. 55 v. 19 pro separatim, ⏑⏑ et ⏑⏑⏑ p. 89 v. 23 pro ⏑— et ⏑⏑—, et delevissem quae p. 69 v. 3 Sed de hoc dicemus in litera t, nec non quae p. 16 v. 18 Pictones ... *parlant* leguntur verba. Tria huiusce editionis errata quae in libro Eustathii non exstant, priusquam legas, corrigas precor: p. 18 v. 10 scribendum erat *oui* (ita), p. 24 v. 25 gammate, p. 44 v. 13 nullum, item p. 14 v. 27 rhythmis, p. 61 v. 9 vocales. Ad

significandos tres *e* literae sonos duae tantum notae p. 15 v. 3, 4, 5 Eustathio suppeditabant, eaeque parum diversae, ita ut, quomodo Beza distingui eos voluerit, haud liqueat; eo minus operae pretium duximus curavisse excudendos characteres non nisi tribus illis versibus scribendis accommodatos. Vale.

Scribebam Berolini d. XX. m. Martii a. MDCCCLXVIII.



Illustri et in primis generoso Domino, Domino Carolo, Baroni a Zerotin, Namestii, Rosicii, Brandaïsii, Domino, Theodorus Beza S. P. in Domino.

Tuorumne magis in te instituendo sapientiam, an tuam in discendo diligentiam admirer nescio, Illustris Domine Baro. Nam illi profecto sapientissime iudicarunt nobilibus praesertim viris necessariam esse exterarum quoque rerum cognitionem, quae neque certiore ulla ratione, neque gratiore ullo labore, quam ipsarum regionum ac gentium inspectione comparatur, modo sanum quidem iudicium adhibeatur, tum in iis fugiendis quae nunquam vidisse praestiterit, tum in iis observandis quorum notitia pietas caeteraeque virtutes cum aetate adolescant. Tum vero vicissim, divino quodam beneficio, et praestantissimi viri tuique monitoris Venceslai Lavinii consiliis fretus, usque adeo tibi non defuisti, ut paucissimos esse arbitrer, vel ex majoribus etiam natu, tecum in hac adhuc tenera aetate, sive peregrina-

rum linguarum peritia, sive variarum terra marique gentium notitia conferendos. Quod si reducem in patriam tam preciosi sundique convectis mercibus locupletem cernere vel illi nunquam satis laudato viro illustri tuo parenti, Domino Johanni procerum Marchionatus Moraviae praecipuo, vel omni virtute multo etiam magis quam generis nobilitate patruo itidem tuo D. Johanni conspicere licuisset, Deus bone, quanta illi te laetitia, tota ipsis congratulante patria, excepissent? At illos Deus Opt. Max. in meliore nunc quiete collocavit. Patria vero te, sat scio, et in ea quidem imprimis illustris ille Dominus, Dominus Fridericus, alter ex tuis duobus patruis adhuc per Dei gratiam superstes, velut intentis in te oculis, expectat: illud nimirum sperans, in quo spem illius (favente Deo) non modo sustinebis, sed etiam longe lateque superabis: fore nimirum ut, peracta tandem usque adeo diuturna peregrinatione, majores illos tuos, splendida Moraviae et vicinarum regionum lumina, praesertim quod ad pietatem caeterasque veras virtutes attinet, redivivos in te conspiciat: et reipsa, magno cum ornamento et emolumento suo, donis in te singulari Dei beneficio collatis aliquando perfruatur. Et haec quidem Deus Opt. Max. utinam rata et firma

esse velit. Caeterum cum hanc quoque Civitatem et Ecclesiam tum praesentia tua cohonestaris, tum etiam plurimis honestissimis exemplis illustraris, putavi tibi minime fore ingratum, si te a nobis discedentem aliquo genere officii prosequerer. Praebuit autem mihi argumentum tua in Franciam suscepta profectio, cuius occasione cum multa mihi a multis jam annis de Francico idiomate meditata in mentem venissent, et te cognoscendae quoque illius linguae summo teneri desiderio animadvertissem: hisce feriis vindemialibus illa tibi et aliis aliquot nobilibus Germanis privatim exposui, quae nunc ad te recognita et emendata mitto, ut quum in Franciam veneris, usu ipso agnoscas, quae quibusdam regulis a me non temere observata comperies. Quod si quis erit qui scriptiunculam istam ut neque professioni neque personae meae convenientem reprehendat, illum cogitare velim, aliud esse, animi gratia nonnihil exspatiari, quam extra viam aberrare. Et praeterquam quod in homine Franco probandum etiam videtur ruentis Francicae linguae fulciendae studium, possum ego me tum Platonis de literarum elementis in Cratylo tam subtiliter disputantis, tum etiam Caesaris maximi viri exemplo tueri, cui in maximis etiam occupationibus tantum fuit ocii,

ut de recta Latine loquendi ratione accuratissime scriberet. Sed utcunque ista veluti ludibundi animi commentatio a caeteris accipiatur, augurari libet, futurum ut tibi, cui proprie scripta est, totique adeo Germanorum genti non improbetur. Bene vale Illustris Domine Baro. Jesus ille servator tuae *εὐγενεῖ καὶ ἐξόχῳ* iuventuti magis ac magis benedicat, teque spiritu Sancto suo foris ac domi tueatur. Ex musaeo nostro, Calendis Septembris anno ultimae Domini Deique nostri patientiae, 1584.

De Francicae linguae recta pronuntiatione.

Quam vulgo Gallicam linguam appellant, ego in hoc scripto Francicam voco, non a Francis Germaniae populis ortam, sed ex quo Galliae regnum, omnium gentium velut commune emporium, in Franciae nomen ultro concessit, ex caeterorum pene idiomatum commixtione satam, ac tandem sic excultam et auctam, ut a plurimis eius cognitio, tum propter sermonis elegantiam, tum etiam propter commercii utilitatem hodie expetatur. Eius autem rectam pronuntiationem duo praecipue reddunt exteris hominibus difficilem. Unum, quod unaquaeque gens in nativo suo idiomate peculiare quiddam observat, ad cuius normam dum peregrinas etiam linguas vitiose inflectit, ita fit ut Germani Germanice, Angli Anglice, Franci Francice Latinas voces enuntient tam varie, ut eruditae quidem aures, quarum superbissimum est iudicium, graviter offendantur: vulgus autem imperitum totidem linguas audire sibi merito videatur. Alte-

rum, quod ita Francica lingua scribi consuevit, ut quamvis exprimendis suis sonis singulae sint proprie in omnibus linguis excogitatae literae, tamen pronuntiatio scriptioni in plerisque vocibus minime respondeat. Nam et plurimae sunt prorsus omittendae, et unius eiusdemque literae non idem ubique sonus auditur, cuius rei conabimur suo loco rationem et usum ostendere. Hae vero difficultates aliquatenus quidem regulis quibusdam observatis, quas mox trademus, sed usu potissimum ipso superantur, qua in re tamen maximo iudicio et delectu opus est. Etsi enim ex Francici regni provinciis aliae aliis minus impure loquuntur, nullam tamen in iis ne urbem quidem inveneris quae suis quibusdam pronuntiationis naevis non laboret, quos passim etiam deinceps annotabimus. Ac fuit quidem tempus, sub Francisco videlicet illo Rege, quem merito liceat bonarum literarum parentem vocare, quum puram Francicae linguae pronuntiationem ex ipsius aula petere licuit. Ab eius autem obitu sic paulatim una cum moribus immutatam fuisse Francicam totam linguam constat, ut vix ac ne vix quidem appareat, ubi tandem ipsius puritas delitescat. Illius certe quidquid hodie superest, partim pauculae servant antiquum obtinentes familiae et homines bonis

literis exculti, partim adhuc Senatus Parisiensis subsellia sonant, quamvis eo quoque paulatim serpat illa vitiosae pronuntiationis contagio: usque adeo nihil est in rebus humanis quod non sit mutationi ac tandem interitui, necessitate quadam inevitabili, obnoxium. Me vero, quomodo pure et eleganter loquentes maiores ab ineunte iuventute audivi et attente observavi, hac etiam in re iuverit meam in Francos meos pietatem fuisse pro viribus testatum. Rem igitur ipsam aggrediamur.

Regulae quaedam generales Francicae discendae pronuntiationis.

Primum igitur cognito vero pronuntiandarum literarum sono, reliquae literae scriptae quidem ac minime proferendae, quas quiescentes voco, accurate sunt cognoscendae, et a pronuntiandis dignoscendae. Deinde non modo verus singularum literarum tenendus est sonus, sed etiam curandum ne qua putide et duriter sonet, immo ut omnes molliter et quasi negligenter efferantur, omnem pronuntiationis asperitatem usque adeo refugiente Francica lingua, ut exceptis *cc*, ut *acces* (accessus), *mm,* ut *somme* (summa), *nn,*

ut *annee* (annus), *rr,* ut *terre* (terra), nullam geminatam consonantem pronuntiet. Postremo Italis quidem ut Francicam linguam recte sonent, cavenda est illa in pronuntiando gravitas quae in penultimarum praesertim syllabarum productione sentitur; Germanis autem multo etiam magis fugienda est tum illa tarditas in singulis pene dictionibus vocem sistens et tandem in extrema periodo quasi pondere quodam delassatam praecipitans, tum etiam in literis nimium fortiter exprimendis asperitas summopere vitanda. Francorum enim ut ingenia valde mobilia sunt, ita quoque pronuntiatio celerrima est, nullo consonantium concursu confragosa, paucissimis longis syllabis retardata, eodem tenore denique volubilis: consonantibus, si dictionem aliquam terminarint, sic cohaerentibus cum proximis vocibus a vocali incipientibus, ut integra interdum sententia, haud secus quam si unicum esset vocabulum efferatur. Exempli gratia, tota haec sententia, *Je parleray demain à vous à bon escient à huict heures du matin*, etsi syllabis novendecim, tamen brevibus omnibus constat, estque uno ac eodem tenore quasi connexis inter se proceleusmaticis enuntianda, in qua linguae volubilitate ut plurimis aliis in rebus mira quaedam est inter Graecum et Francicum sermonem

similitudo. Hoc igitur imprimis est Germanis providendum et attentissime observandum, ut sese huic volubilitati quam studiosissime assuefaciant.

Sunt autem Francis literae viginti et una. Nam duarum quae a nonnullis adiiciuntur una quidem nempe *k*, nullius est usus, ut scribi quidem Francica lingua ab omni pene aevo consuevit: altera vero nempe *y* quam *i Graecum* appellant per inscitiam irrepsit, quum sit duplex *ii* vocale, ut suo loco ostendemus. Harum autem characteres non ii quibus typographi utuntur sive Romani sive Italici sive Gothici quos vocant, sed hi sunt vere Francici quos subieci cum Graecis, a quibus manifeste sunt plerique desumpti, ut mirari nonnulli desinant repertas a Caesare in Helvetiorum castris tabulas Graecis literis exaratas.

Graeci characteres.	Vere Francici characteres.
Α α	*A a*
Β β	*B b*
Κ κ	*C c*
Δ δ	*D d*
Ε ε	*E e*
Φ φ	*F f*
	G g
	H h
Ι ι	*I i*

Λ λ	*L l*
M μ	*M m*
N ν	*N n*
O o	*O o*
	P p
	Q q
	R r
Σ σ	*S ſ*
T τ	*T t tt*
	V v u
Ξ ξ	*X x*
Z ζ	*Z z*

De vocalium Francicarum pronuntiatione.

In his literis vocales Franci quinque numerant, ut Graeci et Latini, de quarum pronuntiatione sic ego quidem, nullo cuiusquam praeiudicio, existimo.

A a.

Haec vocalis sono in radice linguae solis faucibus formato, ore hiante, clare et sonore a Francis effertur, quum illam Germani obscurius et sono quodam ad quartam vocalem *o* accedente pronuntient, in eo etiam interdum peccantes quod illam intra dictio-

nes quasdam expungant, ut quum *Jeruslem* dicunt tribus syllabis pro *Jerusalem* quatuor syllabarum.

E e.

Altera haec vocalis proprium et unicum verum habere sonum debuit quem efficit linguae mucro dentibus mediocriter hiantibus, vocem articulatam plectri vice moderans, ut in his vocibus Latinis legere, vivere, docere proprie sonat. Franci grammatici eruditiores *e* clausum vocant, alii *e* productum, sed perperam. Nam interdum quoque corripitur ut in penultima dictionis *altere* (siticulosus), quae dictio est dactylica, et in aliis quamplurimis. Alter tamen eius sonus est is proprie qui est diphthongi *ae* sono ex *a* et *e* temperato, quomodo usus obtinuit ut Latine quoque pronuntietur, nescio tamen quam recte, quoties haec vocalis cum *l* vel *r* vel *s* vel *t* cohaeret, ut in prima syllaba dictionum TELLUS, FEL, MEL, TERRA, TER, QUATER, TERES, etc. itemque ante *ct* ut TECTUM, et *g m* ut TEGMEN, quem sonum Franci *e* apertum vocant, et eodem sono atque diphthongum *ai* exprimunt, ut *estre*, *feste*, *terre*, *elle*, perinde ac si scriptum sit, *aistre*, *faiste*, *tairre*, *aille*, ut scribitur et pronuntiatur *maistre*, *faiste*, *aise*.

Tertius huius vocalis sonus Graecis et Latinis ignotus, is ipse est qui ab Hebraeis tribuitur puncto quod Seva raptum vocant, Galli vero *e* foemineum propter imbecillam et vix sonoram vocem appellant, quae litera propterea neque in pentametris quarto loco, neque sexto loco in hexametris versibus admittitur, et versus omnes in illam desinentes hypermetri habentur. Itaque dictionem nunquam hic sonus inchoare potest, utpote qui semper vel a consonante praecedente pendeat, vel si nulli consonanti subiiciatur, praecedentis vocalis sit veluti productio quaedam: ut *amie* (amica), *aimee* (amata), *ioue* (gena). Dicemus autem in litera *n* et diphthongorum tractatu de peculiari quodam huius vocalis usu in tertiis pluralibus verborum personis. Sunt vero tres isti huius literae soni accurate dignoscendi, ne cum Aquitanis vel activa verba infiniti modi ut *aimer* (amare), *disner* (prandere), *parler* (loqui), vel pluralis numeri seu nomina, ut *bontes* (bonitates), seu participia passiva, ut *lasses* (lassati), quae omnia per *e* clausum, non autem apertum efferenda sunt, unde isti duri et Francicis purgatis auribus intolerabiles rythmi a doctissimis etiam poëtis Aquitanis usurpati, quibus inter se conferunt *disputer* et *Jupiter*, *hiver* et *arriver*, *parler*

et *parlair, lasses* et *acces.* Quod si obtineri possit ut huic triplici sono triplex hic character attribuatur, nempe *e* pro hac litera clauso sono et masculo efferenda, *e* pro infracto et lenissimo huius literae sono: *e* denique pro diphthongo *ae,* magnopere tum ipsis Francis plerisque, tum in primis peregrinis cautum esset. Alii praeterea duo sunt soni huius literae sed prorsus adulterini et paulatim mutata quidem pronuntiatione, sed eadem manente scriptura, in Francicam linguam invecti. Coalescens enim *e* in eandem syllabam cum *m,* ut *temporel* (temporalis), vel *n* sive sola et sonora ut *i'enten* (ego intelligo), sive adiuncto *d,* ut *entend* (intelligit), vel *t* ut *content* (contentus), pronuntiatur ut *a.* Itaque in his vocibus *constant* (constans), et *content* (contentus), *an* (annus) et *en* (in) diversa est scriptura, pronuntiatio vero recta vel eadem, vel tenuissimi discriminis, et quod vix auribus percipi possit. Excipe quatuor has voculas: *ancien* trisyllabum (antiquus), *lien* (vinculum) et *moijen* (medium), *fient* (fimus) disyllaba et *quotidien* (quotidianus) quatuor syllabarum, denique omnia gentilia nomina, ut *Parisien* (Parisiensis), *Savoisien* (Sabaudiensis), in quibus *e* clausum scribitur et distincte auditur, *i* et *e* nequaquam in diphthongum convenientibus.

Sed et Picardi veterem hîc quoque tum scripturam tum pronuntiationem retinuerunt, adeo quidem ut etiam scribant et pronuntient *ceens* (hic intus), *dedens* (intus), *leens* (illic intus), quum reliqui Franci scribamus et pronuntiemus *ceans*, *dedans, leans*. Alter huius literae sonus adulterinus est idem atque literae *i* geminatae duplicis, in unam tamen syllabam coalescentis, quamvis scribatur *ie,* litera *n* sequente atque dictionem finiente. Sic in his monosyllabis recte pronuntiatis accidit, *bien* (bonum vel bene), *chien* (canis), *Chrestien*(Christianus)disyllabum,*mien*(meus), *rien* (nihil), *sien* (suus), *tien* (tuus vel tene), cum compositis, *vien* (venio vel veni) cum compositis, quae omnia vocabula sic a pure pronuntiantibus efferuntur ac si scriptum esset *i* duplici *siien, chiien* etc. Pictones tamen veterem pronuntiationem per *e* clausum retinuisse videri possent, nisi *e* in *a* mutarent, ut *ils disant, ils parlant.* Sed in earundem vocum foemininis *e* clausum restituitur: scribimus enim et efferimus *chiene,* (canis foemina), *Chrestiene*(Christiana)[quamvis *Chrestiente* (Christianitas), pronuntiemus *Chrestiente*] *miene*(mea), *siene* (sua), *tiene* (tua et teneat), *viene* (veniat).

I i j.

Haec litera ut apud Hebraeos et Latinos, sic apud Francos interdum vocalis est, interdum consonans, quamvis illam Hebraei ante reperta puncta quae vocant, non inter vocales, sed inter palatinas consonantes non temere recensuerint. Caeterum quum haec litera vocalis est, nativum illum tenuissimum sonum retinet caeteris linguis usitatum. Quum autem est consonans, idem valet atque *g* nunc solet in Latinis istis vocibus lege et legi (et quidem vitiose) pronuntiari. Neque mihi displicet eorum commentum qui hanc consonantem a vocali, inferiore illius parte producta et hami instar recurva, distinguunt, sic nimirum illam consonantem pingentes, *ja, je, ji, jo, ju.*

O, o.

Haec vocalis in ipsa palati testudine quasi echo quaedam resonat, minus quidem clare quam *a*, non tamen ita obscure ut *ou* diphthongus, qua in re a Bituricensibus et Lugdunensibus aliisque non paucis populis peccatur, qui pro *nostre* (noster), *vostre* (vester), *le dos* (dorsum) pronuntiant *noustre, voustre, le dous.* Quasdam tamen similes voces usus obtinuit ut ita proferamus, veluti

col et *cou* (collum), *fol* et *fou* (stultus), *mol* et *mou* (mollis), licet semper scribamus *col, fol, mol,* unde *colet* (cervicula), *folle* (stulta) et *molle* (haec mollis). At illis contrarii Delphinates et Provinciales quos vocant, sublata *u* vocali ex diphthongo *ou,* scribunt et legunt *cop* (ictus), *beaucop* (multum), *doleur* (dolor), *torment* (tormentum), pro *coup, beaucoup, douleur, tourment.* Sic Sabaudi pro *oui,* ita pronuntiant *oï* per dialysin. Occitani vero, nomen etiam inde adepti, ex negante Graeca particula *οὐκ*, a vicinis fortasse Massiliensibus Graecis accepta, fecerunt (quod mirum est) affirmantem particulam *oc* pro *oui* (ita): quae omnes pronuntiationes vitiosae sunt et aures Francorum vehementer offendunt.

V v U u.

Haec litera, quum est vocalis, est Graecorum ypsilon, quod ipsa quoque figura testatur, efferturque veluti sibilo constrictis labris efflato, unde factum, ut Hebraei non inter vocales sive gutturales quas appellant, sed inter labiales consonantes hanc quoque alteram, ante reperta quae vocant puncta, non immerito numerarint. Sonus autem illius proxime ad tenuitatem *i* vocalis accedit; quamobrem etiam promiscue veteres Romani

optimus et optumus, Maximus et Maxumus, non illo pingui sono quo Romani suum *u*, et Graeci vetustiores suum *o μικρὸν* efferebant, sed altero illo tenui scribebant et pronuntiabant. Germani propterea hanc literam solent *u* Gallicum, ab illo crassiore quod Galli per *ou* diphthongum scribunt, distinctum appellare; et a literа *n* in suis minutis characteribus hac imposita nota distinguunt, *ŭ*.

Caeterum Franci Latinos grammaticos sequuti ad hanc literam retulerunt etiam Aeolici digammatis sonum, sic vocati quod a solis Graecorum populorum Aeolibus usurparetur, medium videlicet inter *ba* et *pha*, sicut hodie Latini pronuntiant primam syllabam in vado, vetus, vita, volo, vultus. In huius autem literae pronuntiatione cavendum est tum Vasconum vitium qui *b* pro *v* efferunt, ut *bin* pro *vin*, *bache* pro *vache*, *beau* pro *veau*, et contra *v* pro *b*, qui error passim in veteribus manuscriptis libris occurrit, tum etiam alterum Germanis proprium, quo hanc consonantem pro *ph* sive *f*, et contra *v* pro *ph* sive *f* usurpant, ut qui pro vinum, vivo, vitulus, vacca pronuntient finum, fifo, fitulus, facca, et contra pro fallere vallere et similia; qui maximus error quanto est ipsis familiarior, tanto diligentius est illis

vitandus. At nostri maiores Franci peculiarem habuerunt characterem Aeolico digammati scribendo tam acute excogitatum, quam est imperite a posteris in mediis syllabis neglectus, et initio dictionum pro *u* vocali usurpatus, ut quum scribunt *vn* et *vne*. Quum igitur hos sonos viderent maxime affines *ba* et *va* a plerisque confundi, figura usi sunt quae hanc affinitatem simul et ostenderet et distingueret, charactere videlicet literae *b* leviter in sinistram nempe v et *v* ad digammatis Aeolici pronuntiationem significandam inflexo, idque non tantum initio dictionum, ut a Francice scribentibus adhuc hodie observatur, ut *vie, vertu*, *vertueux*, sed etiam intra ipsas dictiones, ut *vivre*, *recevoir*, *avoir*, qua de re suo rursum loco a nobis dicetur. P. Ramus nostra memoria diligens multarum rerum inquisitor, ut hanc literam vocalem a consonante distingueret, hunc quidem characterem *v* consonanti, istum vero *u* vocali attribuit. Laudo institutum, factum probare non possum. Nam illa quidem nota est verum Graecorum *υ* ψιλόν, id est, haec ipsa vocalis. At *u* character est, ut ex veteribus etiam manuscriptis codicibus apparet, antiquus Graecus literae betha, non autem digammatis solis Aeolibus noti; quam notam postea librorum descriptores perperam ad

hanc literam tum vocalem tum consonantem designandam accommodarunt, hoc tamen discrimine servato, quod illa priore usi sunt in dictionum initiis, ista vero intra ipsas dictiones aut in earum fine.

De Consonantium literarum Francicarum pronuntiatione.

B b.

Haec consonans eundem quidem sonum in Francica lingua retinet quem et Graeci emendate pronuntiantes et Latini observant, sed suavitate quadam siccitatem ipsius temperante, quo magis cavendum est Germanis, ne hanc cum *p* sicciore etiam litera suo quodam more confundant, ut quum pro scribere et bibere pronuntiant, et quidem non sine densiore quoque flatu scrippere et pippere. De Vasconibus autem hanc literam in Aeolicum digamma transferentibus paulo ante est a nobis dictum.

C c.

Haec consonans, orto proculdubio a vitiosa Latinae linguae pronuntiatione errore, duplicem habet sonum, qui tamen fallere neminem nisi falli volentem possit. Nam

ante *a* et diphthongum *au*, item ante *o* et *ou* diphthongum, et *u* et *ui* diphthongum, sonum suum nativum, paucissimis exceptis vocabulis, servat, ut *cas* (casus), *cause* (causa), *columne* (columna), *couler* (colare), *curer* (curare), *cuir*, corium. At ante vocales *e* et *i* pronuntiatur sicut *s* Latinum, ut *ce* et *ci*, ac si scriptum esset *se* et *si*.

Dixi excipi quasdam paucas dictiones in quibus itidem ut *s* Latinum profertur tum ante *a* tum ante *o*, cuiusmodi sunt *ca, deca, facon, faconner, glacon, macon, maconner, limacon, poincon, poinconner*, et activa tum praeterita tum participia ab infinitis quae in *cer* desinunt, ut a *commencer* fit *commencant* et *commencons, commenca*, et si qua sunt eiusmodi *s* Latino pronuntianda; quarum dictionum nonnulli quasdam inserta *e* vocali quiescente scribunt, ut *commencea commenceons*, alii vero, quos omnino sequendos arbitror, litera *s* tanquam cauda quadam literae *c* subjecta notant, et hanc literam *c* caudatum Hispanorum more vocant, ut *ça, deça, façon, façonner, maçon, maçonner, poinçon, poinçonner, commençay, commença, commençons, commençant*.

Quoties autem huic literae adhaeret sequens aspiratio, quaecunque vocalis sequatur, tum solet crasso quodam et pingui

sono proferri, cuiusmodi est apud Hebraeos literae Schin in dextro latere signatae, non ut Graecorum chi, quod sonant Germani in verbo *machen*, sed ut sch pronuntiant in voce *schelm*. Sic igitur Francice sonant *chat* (catus), *chair* (caro), *chaud* (calidus), *chez* (apud), *cheut* (lapsus), *riche* (dives), *chose* (res), *chou* (brassica). At contra Picardi pleraque a caeteris Francis per *ch* pingue prolata per *c* siccum efferunt, ut *cat*, *cauld*, *cose*, *rique*, et plurima e contrario per *ch* proferunt, quae per *s* Latinum caeteri pronuntiant, ut *chechi*, *chela*, tanta est dialectorum non modo varietas sed etiam repugnantia.

D d.

Haec consonans pronuntiata nullam syllabam claudit in Francica lingua praeter ultimam in quibusdam dictionibus, in quibus perinde pronuntiatur ut *t*, sed ita ut siccitas eius aliquatenus liquefiat. Quod si quis roget, cur non igitur *t* potius quam *d* scribatur, respondeo id fieri propter derivatorum analogiam. Itaque scribimus *gaillard* (hilaris), *paillard* (scortator), *lard* (lardum) propter derivata, *gaillardise, paillarder, larder*, quum alioqui haud secus illa proprie efferamus, quam si per *t* scriberentur. Sic quamvis tertiae personae singulares praesentis indi-

candi modi verborum activorum *t* literam regulariter requirant in secunda et tertia coniugationibus, scribimus tamen *entend* (intelligit), *fend, defend, fond, respond,* propter infinita, *entendre, fendre, defendre, fondre, respondre,* quibus etiam nonnulli addunt *plaind, peind, craind, feind, estraind, ioind, poind,* sed immerito. Nec enim in eorum infinitis modis, *plaindre, peindre, craindre, feindre, estraindre, ioindre, poindre,* litera *d* invenitur ut in illis ex analogia, sed euphoniae causa inseritur, ut in Graeca dictione *ἀνδρός* pro *ἀνρός,* et in Francica *tendre* pro *tenre,* a Latina voce tener. Sed nullam excusationem admittit eorum error qui inter *quand* pro quando et *quant* pro quantum nullum discrimen in scriptura statuunt. Et hîc admonendi sunt Germani ne *t* pro *d* pronuntient, ut suum *das* et *dag* efferre solent *tas* et *tag,* et Latine pro doctore toctorem aut etiam tocthorem proferre.

F f.

Hanc literam initio fuisse Aeolici digammatis sive *v* consonantis notam, ipsa figura a Latinis usurpata demonstrat ex uno grammate alteri imposito constructa, ut ex Ciceronis etiam quodam loco in oratione pro Flacco manifeste liquet. Postea vero pro

φ Graecorum idest pro *ph* ursurpari coepit, ut et a Francis hodie pronuntiatur. Sicut autem dixi de *v* consonante, magnopere cavendum esse Germanis ne illam cum *f* confundant, ita vicissim summopere studeant oportet, ne *f* pro *v* consonante usurpent, quamvis haec litera dictionem finiens a Francis loco digammatis scribatur et ut *f* pronuntietur, ut *beuf, bref, cerf, gref, naïf, nef, nerf, serf, suif, vif,* a Latinis vocibus bovis, brevis, cervus, gravis, nativus, navis, nervus, servus, sevum, vivus, restituto in illorum derivatis digammate, ut *bovine, breviere, cerve, grever, naïvete, navire, nerveux, servitude, vivacite.*

G g.

Haec consonans ante *a, o* et *u* verum suum sonum servat proximum *c* literae, ut *gale* (scabies), *Gaule* (Gallia), *gosier* (guttur), *goutte* (gutta), *aigu* (acutus). At ante *e* et *i*, errore a Latina pronuntiatione propagato, idem prorsus plerumque sonat atque *i* consonans in Latinis vocibus, ut a plerisque etiamnum enuntiatur regere et regis, ut *gager, regir,* ac si scriptum *gajer* et *rejir.* Sed neque illud neque istud exceptione caret. Nam et ante *a* et ante *o* interdum ut *j* consonans, et contra ante *e* et ante *i* nativo

suo sono profertur, quae tamen varietas facile discernitur. Quoties enim ante *a* et *o* pro *j* consonante usurpatur, illi subiici solet *e*, non ut proferatur, sed ut silens ostendat *g* in iis dictionibus non aliter efferendum quam ante *e* consuevit, id est pro *j* consonante, ut *mangeons* (comedimus), item *ie mangeay*, *tu mangeas, il mangea, nous mangeasmes*, *vous mangeastes, ils mangearent* (comedi, disti, dit, dimus, distis, derunt, perinde ac si scriberetur *manjons, manjay, manjas* etc. Sic Germani nonnulli pro ego perperam pronuntiant eio, et pro gallus jallus. Unde Bituricenses *jau* pro gallo et *ajace* pro *agace,* id est pica. Sic etiam ante *o* ut *flageol* (fistula pastoritia). At quoties ante *e* vel *i* nativum suum sonum retinet, solet illi adiici *u* itidem quiescens et hoc unum ostendens, quamvis sequatur *e* vel *i,* tamen nativo suo sono hanc literam esse proferendam ut *langue* et *languir,* in quibus nusquam auditur *u*, sed indicat non esse proferendas istas voces ut si scriberetur *lanje* et *lanjir.* Itali vero nescio qua ratione hunc sonum per *gh* scribunt, ut *stringhe, ghiotto* et similia.

H h.

Aspirationem Franci quantum fieri potest emolliunt, sic tamen ut omnino audiatur, at

non asperę ex imo gutture efflata, quod est magnopere Germanis et Italis, praesertim Tuscis, observandum. Deinde cavendum accurate, ne vel ubi quiescit efferatur (quibus autem in vocabulis quiescat, partim usus docet, partim etiam suo loco dicemus), vel ubi pronuntianda est praetermittatur, quo vitio purgatis auribus molestissimo Burgundi, Bituricenses, Lugdunenses et Aquitani pene omnes laborant, pronuntiantes *en ault, l'aultesse, l'acquenee, l'azard, les ouseaux* pro *en hault, la haultesse, la hacquenee, le hazard, les houseaux*. Quibus autem in vocibus sonet ex quiescentium recensione etsi facile fuerit iudicare, placuit tamen illorum in quibus auditur plerasque enumerare, quo facilius sibi quisque ab illo vitio cavere possit. In harum igitur dictionum initiis aspiratio pronuntiatur:

H ante *a*.

Ha, interiectio exclamantis et imitantis.

Hache, hasta.

Halier, dumetum.

Haïr, odisse, cum omnibus derivatis.

Haire, cilicium.

Hairon, ardea.

Hait, vetus verbum Gallicum quo animi acquiescentis alacritas significatur, unde *souhait* et *souhaitter*.

Hale, forum tectum rerum venalium.
Halecret, thorax ferreus.
Haler, sursum funibus onus attollere.
Haleter, anhelare.
Hameau, viculus.
Hanap, patera, vetus Gallicum verbum.
Hanche, coxa.
Hante, hastile.
Hanter, frequentare, cum derivatis.
Haquebute, gestatoria bombarda.
Haquenee, gradarius equus.
Hacquet, species vehiculi.
Harangue, oratio publice habita.
Haras, equorum grex.
Harceler, incessere.
Hardes, sarcinae.
Hardi, audax, cum derivatis.
Haren, halec, pro pisciculo marino.
Harer, incitare, fictitia vox ab interiectione *ha.*
Harnie, hernia, cum derivatis.
Harier, urgere, ab eadem interiectione *ha.*
Harnois, lorica.
Harpe, cithara, cum derivatis.
Hart, laqueus.
Hazard, periculum incertum, cum derivatis.
Hasle, torrens solis aestus, cum derivatis.
Haste, veru, pro quo purius loquentes Franci dicunt *vne broche.*
Haubert, haubergeon, thorax.

Havee, quantum aliquis potest semel arripere.
Havet, uncus.
Havir, retorrere.
Hault, altus, cum derivatis.
Haye, sepes.
Havre, navale.

H ante *e.*

He, interiectio vocantis.
Heaume, galea.
Hector, nomen proprium.
Hennir, hinnire.
Herault, fecialis.
Henri, nomen proprium.
Herisson, herinaceus.
Herse, occa.
Hestoudeau, pullaster.
Hestre, cerrus.
Heurt, illisio, cum derivatis.

H ante *i.*

Hibou, bubo.
Hideux, horridus.
Hie, fistuca.

H ante *o.*

Ho, interiectio vocantis.
Hobin, equus tolutarius.
Hocher, quatere.

Hochet, infantile crepitaculum.
Hoguiner, contrectatione lacessere.
Hola, interiectio sistentis.
Hon, interiectio cum indignatione recusantis, unde *hongner*.
Hongre, Hungarus, cantherius.
Hongrie, Hungaria.
Honnir, dedecorare.
Honte, pudor, ignominia, cum derivatis.
Hoquet, singultus.
Hoqueton, tunicae species.
Horion, ictus fuste impactus, vox Picardis peculiaris.
Hors, foris.
Hote, corbis dossuaria.
Hou, interiectio abigentis cum ignominia.
Houbelon, lupulus.
Houe, bipalum, cum derivatis.
Houlette, pedum.
Houppe, floccus.
Houseau, ocrea.
Housse, stragula sellae equestri imposita.
Housser, pertica abstergere.
Houssine, virga arbustea.
Houx, aquifolia.

H ante *U*.

Huer, inclamare, fictitia vox.
Huche, mactra.

Hucher, voce accersere, dictio Picardis praesertim familiaris, cum derivatis.
Hulote, ulula.
Humer, sorbere, cum derivatis.
Hupe, upupa.
Hurler, ululare.

L l.

L nativum suum sonum singularis retinet, tum dictionem inchoans, ut *la*, *le*, *li*, *lo*, *lu*, tum finiens, ut *al*, *el*, *il*, *ol*, *ul*. Sin vero geminetur idque post *a*, *e* vel *o* (quod fieri solet consuetudine potius quam necessaria ratione), tum nihilominus pronuntiatur ut simplex, ut *aller*, *belle*, *telle*, *querelle*, *folle*, *molle*. Post *i* vero vocalem edit mollem quendam sonum Hebraeae, Graecae et Latinae linguae prorsus insuetum, proxime accedentem ad sonum syllabae *li* cum proxima vocali coalescentis, quem Itali quidem per *gl* scribunt, tum in initio, ut in *gli* articulo, tum intra ipsam dictionem, ut *figliuolo*, Hispani vero per duplex *ll* initio quoque vocabulorum notant, ut *llamado* quasi *liamado* trisyllaba dictione. Francis autem hic sonus nullam dictionem inchoat, praeterquam Bituricensibus, qui *gloire* et *glorieux* et similia efferunt, quasi *lioire* dissyllabum et *liorieux* trisyllabum scribatur. Sic ergo duplex *ll* a Francis enuntia-

tur proxime praecedente *i*, quae vocalis si sola fuerit, sonum suum servat, ut *bille* (globulus), *fondrille* (sordes in fundo haerentes), *fille* (filia), *grille* (craticula), *fourmiller* (formicarum instar pullulare), *chenille* (eruca), *piller* (populari), *quille* (lignum parvulum pyramidis instar effictum), *siller* (nictare), *sillon* (sulcus in re rustica, sive merges). Excipe dictionem unicam *ville* pro urbe, in qua sonat *l* singulare, sic scripta, ut a foeminino adiectivo *vile* (vilis) discernatur. Sin autem vocalem *i* praecedat alia quaecunque sive simplex sive in diphthongo, tum *i* quiescit et indicat, duplex illud *ll* illo molli sono efferendum, ut post *a*: *bailler* (tradere), *paille* (palea), *saillir* (salire), post *e*: *veiller* (vigilare), *treillis* (clathra), post *ou*: *mouiller* (madefacere), *grenouille* (rana), *bouillir* (bullire), post *eu*: *feuille* (folium), *veuille* (velim). Sic enim haec arbitror scribenda, non ut vulgo solent *fueille, vueille.* Quod autem Aquitani et eos imitati nonnulli hunc sonum scribunt per *lh*, ut *balher, moulher* et similia, ipsi viderint qua ratione faciant.

M m.

M syllabam inchoans vero et omnibus linguis usitato sono compressis labiis effertur, ut *ma, me, mi, mo, mu*, syllabam autem

finiens, sive intra ipsam dictionem, sive in ultima vocabulorum, perinde prorsus pronuntiatur ut *n*, de qua mox dicemus, ita videlicet ut non modo labia non occludantur, sed etiam linguae mucro dentium radicem non feriat, ut *temporel* (temporalis), *hymne* (hymnus), *dommage*(damnum), *dam* (damnum), *nom* (nomen), *haim* (hamus), *faim* (fames), *temps* (tempus), perinde efferenda, acsi scriptum esset, *tanporel*, *hinne*, *donmage*, *dan*, *non*, *hin*, *fin*, *tans*.

N n.

Haec quoque consonans syllabam inchoans nativum sonum retinet, ut *na*, *ne*, *ni*, *no*, *nu*, intra dictionem autem vel ultimam dictionis syllabam incipiens saepe sonum quendam edit mollem admodum, tum Hebraeis, tum Graecis, tum etiam fortasse Latinis ignotum, quamvis Italis quoque et Hispanis familiarem, quem illi quidem ut et Franci per *gn*, isti vero per *n* superinducta lineola signatum scribunt, hoc charactere videlicet *ñ*, ut ante *a: gagna*, ante *e* clausum: *gagner*, ante *e* foemineum: *rogne*, post *i*: *ignorer*, *guigner*, ante *o: rognon*, ante *eu: gaigneur*, quae pronuntiatio eadem pene est, atque si haec ita scribas et pronunties ut dissyllaba: *gania*, *ganier*, *guinier*,

ronion, *ganieur* et *iniorer*, trisyllabum. Hinc factum ut nonnulli ante *on* in huiusmodi vocibus *i* quiescens inserant, quod ego quidem non probo, quum potius si occurrerit sit expungendum. Sic enim a nominibus *coin*, *tesmoin* et *besoin* deducuntur verba *cogner*, *tesmogner* et *besogner*, quae nonnulli, interiecto altero *n*, scribunt *congner*, *tesmongner*, *besongner*. Neque sane temere id faciunt, quum saepissime sic geminentur *m*, ut pro *home* (homo) usus obtinuit ut scribatur et pronuntietur *homme*, et *n* quoque in *bonne*, *sonner*, *honneur*, *honneste* a Latinis vocibus bona, sonare, honor, honestas, licet dicamus simplici *n* *honorer* et *honorable*, ab honorare et honorabilis. Sic etiam vel *g* expuncto scribendum est *conoistre* et *conoissance*, vel in *n* mutato, *connoistre* et *connoissance*, pro quibus vitiose scribi solet *cognoistre* et *cognoissance*. Cuiusmodi *n* Hebraei non scriberent geminum, sed per daghes forte quod vocant, aptissimo compendio notarent, cuius exemplum nobis accommodatissimum nostra haec Francica lingua suppeditat in diversis dictionibus, quarum prior in *n* desinit, posterior vero incipit a vocali; exempli gratia Francice sic recte scripseris: *Pierre s'en est alle*, quod tamen sic efferendum est: *Pierre s'en nest alle*.

Sic *on m'en a parle*, ac si scriptum esset, *on m'en na parle*, illo videlicet prioris dictionis *n* daghessato et cum vocali sequentem vocem incipiente coniuncto, pro eo quod Parisiensium vulgus pronuntiat: *il se nest alle, on me na parle*, per *e* foemineum ut in pronominibus *se* et *me*. Sed hoc in primis curandum est peregrinis omnibus, quod antea in litera *m* monui, nempe hanc literam quoties syllabam finit, quasi dimidiato sono pronuntiandam esse, mucrone videlicet linguae minime illiso superiorum dentium radici, alioqui futura molestissima pronuntiatione; quo vitio inter Francos laborant etiamnum hodie Normanni. Graecos autem haud aliter hanc literam ante *κ*, *γ*, *χ* pronuntiare consuevisse annotat ex Nigidio Figulo A. Gellius.

P p.

Sicca est admodum huius literae pronuntiatio in reliquis linguis, sed in Francico idiomate quantum fieri potest emollitur, syllabam in paucis finiens, ut in interiectionibus *hip*, quae saltantis alacritatem indicat, et *hop* aliquem inclamantis, ut apud Aristophanem *βατράχοις*, et vetere voce iam obsoleta *hanap* pro calice, *cap* (promontorium), *coup* (ictus, unde adverbium *beaucoup*) *sep*

(vitis). Germanis vero danda est opera, ne illam cum *b* confundant, veluti cum braeceptor dicunt pro praeceptor.

Q q.

Haec consonans syllabam inchoans semper habet *u* vocalem adiunctam, sed quiescentem, ut suo loco dicemus, et hoc unum indicantem, hanc consonantem, quaecunque sequatur vocalis, idem valere atque *k* id est Graecorum cappa, sive Hebraeorum coph, ut *quand* (quando), *quant* (quantum), *que* (quod), *qui* (quis), *quotidien* (quotidianus), quasi scriptum sit *kand*, *kant*, *ke*, *ki*. Redundat igitur litera *c* illi a quibusdam praeposita in nonnullis vocabulis, ut *avecques*, *picquer*, nullo prorsus usu, quum sufficiat scribere *aveques* et *piquer*. Syllabam finit quantum possum meminisse in hac unica dictione *coq* (gallus gallinaceus); sed desinentia in *c* plurima vocabula scribuntur per *qu* in derivatis, ut *rebequer*, *bequer*, *claquer*, *choquer*, *defroquer*, *greque*, *fantastique*, *publique*, *croquer*, a *rebec*, *bec*, *clac*, *choc*, *froc*, *grec*, *fantastic*, *public*, *croc*. Quaedam tamen eiusmodi formant derivata non in *qu*, sed in *ch*, ut *duche*, *sachet*, *seche*, *rocher*, *desiucher*, *acrocher*, a nominibus *duc*, *sac*, *sec*, *roc*, *desiuc*, *croc*.

R r.

Haec litera sive inchoet sive finiat syllabam, nativo suo sono profertur. Immo quamvis sit omnium literarum asperrima ideoque apud Hebraeos nunquam daghessetur, et Francicam linguam constet mollitiem pronuntiationis in primis captare, tamen quum geminatur, fortiter est efferenda, una quidem priorem syllabam finiente, altera vero sequentem inchoante, ut *barre*, *beurre*, *courre*, *errer*, *ferrer*, *fourrer*, *quarre*, *verre*. Itaque cavendum est Cenomanorum, Pictonum et Lotharingorum vitium, qui duplicem ut simplicem enuntiant, quum tamen contra iidem Cenomani simplicem ut duplicem efferant, ut *fairre* (facere) et *voirre* (vere). Parisienses autem ac multo etiam magis Altissiodorenses et mei Vezelii simplicem etiam in s vertunt, ut *cousin*, *Masie*, *pese*, *mese*, *Theodose* pro *courin*, *Marie*, *pere*, *mere*, *Theodore*, quomodo etiam Romani promiscue scripserunt Valesius et Valerius, honos et honor, et flos et mos retinuerunt pro flor et mor, ut ex obliquis floris et moris apparet. Immo etiam veteres honosem pro honorem scribebant, ut Festus testatur. Sed hoc vitium in Francica lingua nullus mos excusat.

S s.

Haec consonans suo nativo sibilo semper profertur dictionem incipiens, ut *sage, semer, signe, songe, surmonter.* Intra ipsam autem dictionem, si inter duas vocales deprehendatur, unam videlicet quae syllabam praecedentem finiat, et alteram quae ipsi sigmati adhaereat, tunc lenissimo sibilo ut zain Hebraeorum et Francorum zeta, de quo mox dicemus, non autem ut Graecorum ζ, quod respondet Hebraeorum tsade, pronuntiatur, ut *cause, desir, plaisir, raison, baiser, creuser, priser, chose, oser, user, excuser*, quae sic efferuntur ac si scriberetur *cauze, dezir, plaizir, raizon, baizer, creuzer, prizer, choze, ozer, uzer, excuzer;* idque usque adeo perpetuum est, ut etiam haec litera dictionem finiens et inter duas vocales deprehensa similiter pronuntietur ut *les ames, les asnes, les engins, les instrumens, les ordures, les usages*, acsi scriberetur *lez ames, lez asnes, lez engins, lez instrumens, lez ordures, lez usages.* Quod si inter duas vocales duplex scripta comperiatur, tunc prior quidem quiescit, posterior autem perfecto nativoque suo sibilo profertur, ut *aussi, baisser, laisser, chausse, chasser, dessus, dessoubs, glisser, grossir, toussir* et similia.

Idem statuendum, quoties inter consonantem et vocalem adhaerentem occurrit, ut *ainsi*, *transi*, *apprehension*. Itaque perperam nonnulli *prinse*, *entreprinse*, *prinson* scribunt et pronuntiant. Quibus autem in syllabis quae pluribus consonantibus constant, haec litera sileat, suo loco dicemus.

T t.

Haec consonans syllabam inchoans, sive sola ut *ta*, *te*, *ti*, *to*, *tu*, sive cum *r* ut *tra*, *tre*, *tri*, *tro*, *tru* (nam in Francica lingua vix aliam sibi consonantem adsciscit), nativum suum sonum retinet a litera *d* distinctum. Hoc observandum est Germanis, quibus mos est has duas literas saepissime permutare. Syllabam vero nunquam finit intra dictiones, nisi geminata ac proinde quiescens vel aliâs supervacanea, ut *lettre*, *mettre*. Caeterum in Francicis vocibus a Latinis in *tio* desinentibus desumptis (in quibus haec consonans scribitur) nulla certe ratione, sed communi errore ab iis qui vitiose Latina pronuntiant, in peregrinas quoque linguas propagato, haec litera pronuntiatur per *c* sive solum ut *interrogation*, *disposition* et similia plurima, sive cum *c* ut *affection* (affectio), quasi scriptum sit *interrogacion*, *disposicion*, *affeccion*; praecedente

tamen *s*, suum nativum sonum servat, ut *combustion*. Quodsi dictionem finiat, sequente quacunque consonante, quiescit, ut suo loco dicemus. Sed huic literae mirum quiddam accidit, nempe ut, ubi nusquam apparet, tamen euphoniae causa pronuntietur, ut si scribas *parle il* (loquiturne?), pronuntiandum erit interposito *t*, etiam servato *e* foemineo, *parlet-il*. Sic in tertiis personis singularibus futuri indicativi *ira-il*, *parlera-il* et praesentis etiam indicandi in quibusdam verbis, ut *va-il* scribitur quidem, sed pronuntiatur *irat-il*, *parlerat-il*, quam pronuntiationem recentiores quidam ad normam scripturae exigunt; sed hoc certe facere saltem non possunt in tertia persona singulari praesentis temporis indicativi primae coniugationis, ut *aime il?* Veteres autem maiores nostros tertias personas singulares tum praeteritorum perfectorum, ut *aima* (amavit), tum futurorum, ut *aimera*, scripsisse et pronuntiasse addito *t*, quod scribi paulatim desierit, indicat Burgundorum dialectus, qui adhuc hodie scribunt et pronuntiant, *Je va, tu vas, il vat* et *i'aima, tu aimas, il aimat* et *ie parlera, tu parleras, il parlerat.*

X x.

Haec litera in peregrinis dictionibus, necessitate quadam Francicae linguae suavi-

tati veluti vim afferente, pronuntiatur pro duplici *cc*, ut *Xerxes*, *Artaxerxes*, sic tamen ut in posteriore istorum nominum syllaba audiatur alterum *c* duntaxat, quasi scribatur *Xerces*, *Artaxerces*. Sic etiam syllabam finiens effertur, ut *exercer*, *exemple*, *executer*, etiam ubi *c* redundat, ut *exces*, *excessif*. In extremis vero dictionibus idem sonat prorsus atque *s*, et partim usu potius quam firma ratione usurpatur, ut in dictionibus *noix* (nux), *paix* (pax), *poix* (pix), et in nominibus numeralibus *six* (sex), et *dix* (decem) et eorum derivatis, ut *sixiesme*, *dixiesme*, partim etiam ratione. Quum enim in litera quotidiana et vere Francica quam manu scriptam cursivam vocant, vix ac ne vix quidem discerni possent *n* et *u* (quae causa etiamnum hodie cogit Germanos literam *u* ab *n* imposito quodam apice distinguere) usurpari coepit *x* pro *s*, praecedente diphthongo *au* vel *eu*, ne in pronuntiatione hallucinaretur, ut *ceux*, *dieux*, *lieux*, *mieux*, ne quis, si *s* adhibitum esset, legeret *cens*, *diens*, *liens*, *miens*. Itidemque usus obtinuit, ut scriberetur *chevaux*, *maux* et similia, ne quis legeret *chevans* et *mans*.

De *y* quod *i* Graecum falso vocant.

Quum hanc literam viderem non modo promiscue et nulla prorsus ratione in scri-

benda Francica lingua usurpari, sed etiam falso *i* Graecum vocari, quum *υ* Graecorum non sit *i*, sed *u* illud exile crassae diphthongo *ou* oppositum, videor mihi tandem comperisse quod res est, nunquam videlicet maiores illos nostros de isto *i* Graeco cogitasse, sed duplex *i* vocale scripsisse, ut nunc quoque Germani scribunt, hac nimirum forma *ij*, quae facile postea in *y* degenerarit et *υ* Graecum vocari coepit, quod eius formam, Latinis descriptoribus familiarem, imitaretur. Sic etiam corrupta iampridem Graeca pronuntiatione factum ut *υ* cum iota confundatur. Usus autem istius duplicis *ij* fuit duntaxat post *aj* et *oj* diphthongos, occurrentibus diphthongis aliis ab *i* incipientibus, puta *ia* vel *ie*, aut triphthongis *iau* vel *ieu*, ut *plaije*, *aije*, *loijal*, *roijal*, *loijaute*, *ioije*, *ioijeux*, *loijaux*, in cuiusmodi dictionibus vitio scripturae tripliciter vitiata fuit pronuntiatio. Nam alii sic ista efferunt posteriore *i* eliso, acsi scriptum esset *joi-eux*, *loi-al*, *moi-en*, *plai-e*. Alii, ut Aurelii, corruptissime posterius *i* pronuntiant ut consonantem, priore *i* expuncto, *a-je*, *jo-je*, *io-jeux*, *lo-jal*, quas prolationes omnes constat vitiosas esse, et illam veram prolationem retinendam in qua diphthongus gemina aut diphthongus et triphthongus distincte audi-

untur, nempe *plai-ie*, *ai-ie*, *pai-ier*, *pai-iement*, *ioi-ie*, *ioi-ieux*, *moi-ien*, *loi-ial*, *loi-iaute*, *roi-ial*, *monnoi-ieur*. Sic maiores nostri primas personas singulares praeteriti imperfecti tum indicativi modi, ut *ai-moi-ie*, tum optandi, ut *ai-me-roi-ie*, enuntiabant, quod usurpavit etiam Marotus Psalmo 23. nempe *vien-droi-ie* et *crain-droi-ie* trisyllaba, pro quibus postea, usus obtinuit, ut, extrita diphthongo *ie*, scribamus et efferamus *aimoi*, *aimeroi*, *viendroi*, *craindroi*, saepe etiam addito *s*, quae tamen et propria, Graecorum more, secundae personae singularis nota, nempe *aimois*, *aimerois*, *viendrois*, *craindrois*. Sic enim etiam Marotus in quadam Epistola usum potius quam rationem sequutus,

O noble Roy François,
Pardonne moi, car ailleurs ie pensois.

Sed et iidem nostri maiores eandem rationem olim sequebantur in tertiis pluralibus personis per *e* tantum foemininum in ultima syllaba efferendis, puta *ai-moi-ent*, *ai-me-roi-ent*, quae pronuntiatio dupliciter postea corrumpi coepit. Quidam enim expuncto *i* pronuntiant *aimoent* et *aimeroent* per *e* clausum, sicut Pictones adhuc hodie tertias personas plurales *aiment*, *disent* sic efferunt ut participia *aimant*, *disant*. Aliqui vero, ut Tholosates et alii plerique Aquitani, extrito

e pronuntiant *ai-moint* et *ai-me-roint*, diphthongo *oi* suo nativo sono prolata ut in his vocibus *soin*, *besoin*, *tesmoin*. At nunc Franci recte pronuntiantes, quamvis vetere manente scriptura, sic ista efferunt, ut plurales personae *aimoient*, *aimeroient* non sono, sed solo accentu circumflexo differant a singularibus *aimoit*, *aimeroit*, ut si scribatur *aimôit*, *aimerôit*.

Levis autem erit huius literae emendatio, charactere minime immutato, sed duplici tantum apice huic formae *ÿ* imposito, ut iam omnes nullam hic esse Graecum *v* norint, sed duplex *ÿ*, nusquam alibi scribendum quam post diphthongos *ai* vel *oi*, sequentibus quas dixi vel diphthongis vel triphthongis.

Z z.

Haec litera respondens Hebraeorum zain, non autem eorundem tsade, nec Latinorum zetae, dictiones aliquas peregrinas inchoat ut *Zephire*, *Zacinthe*. Usus etiam obtinuit necessitate quadam, ut in nomine numerali *unze* scribatur, quia si *s* scriberetur, tum integro sibilo pronuntiaretur *unsse*, nempe *s* inter consonantem praecedentem et vocalem sequentem deprehensa, sicuti in sigmate diximus. At usus postea, non eadem ratio,

effecit, ut similiter scribatur *douze*, *treze*, *quatorze*, *quinze*, *seze*, sicut etiam scribimus *ozeille* (oxalis). Commode vero mihi facere videntur qui personas secundas plurales verborum, ut a pluralibus rectis nominum substantivorum distinguantur, hac litera finiunt in *e* clausum desinentes, ut *aimez*, *aimerez*.

De Diphthongis Francicis.

Hactenus de simplicium literarum pronuntiatione disseruimus. Nunc de syllabis quae ex duabus vocalibus coalescentibus conficiuntur, dicemus, quas diphthongos, id est geminisonas, appellant. Sunt autem eae in duplici differentia. Nam in unis neutra vocalis auditur, sed tertius quidem sonus ex utraque conflatus; in aliis vero utraque profertur, sed in unicam syllabam coiens. Sunt autem novem numero, nempe *ai*, *au*, *ao*; *ei*, *eu*; *oi*, *ou*; *ue*, *ui*.

Ai.

Hanc diphthongum maiores nostri, ut et Graeci omnes, quibus nulla est diphthongus ex *a* et *e* constituta, et veteres Latini sic efferebant ut *a* et *i*, raptim tamen et uno vocis tractu prolatam, quomodo efferimus

interiectionem incitantis *hai hai*, non dissyllabam ut in participio *haï* (exosus), sed ut monosyllabam, sicut Picardi interiores hodie quoque hanc vocem *aimer* pronuntiant. Sicut autem posteriores Latini aulai et pictai dissyllaba, quae poetae per διάλυσιν trisyllaba fecerunt, mutarunt in aulae et pictae, ita etiam Franci, licet servata vetere scriptura, coeperunt hanc diphthongum per *ae* pronuntiare, sic tamen ut in eius prolatione neque *a* neque *e* audiatur, sed mixtus ex hac utraque vocali tertius sonus, is videlicet quem *e* aperto attribuimus. Quum enim vocalis *e* proprie pene coniunctis dentibus enuntietur (qui sonus est *e* quem clausum vocavimus), in hac diphthongo adiectum *a* prohibet dentes occludi, et vicissim *e* vetat, ne *a* claro illo et sonoro suo sono proferatur. Exemplo sunt hae voces *parfaite* et *prophete*, quarum penultimae non uno modo scribuntur, sed eodem penitus sono enuntiantur. Sic prior syllaba in *maistre* et media in *permettre* non sono, sed sola quantitate differunt. Nam illa quidem longa est per *s* quiescens notata, ista vero brevis est, in qua prius *t* quiescit, ostendens *e* non esse clausum, sed apertum. Sed duo sunt praeterea in hac diphthongo notanda. Unum, interdum per διάλυσιν esse pronuntiandam ut in verbo *haïr* (odisse), dis-

syllabo et aliquot huius verbi personis, ut *haïsse* (odissem), *haïssois* (oderam), quum tamen in themate dicamus *hai*, *hais*, *hait*, monosyllaba, et in nomine verbali *haine*, dissyllabum, quae usu discuntur. Alterum, in hac diphthongo nonnunquam *a* penitus quiescere, et solum *i* audiri, sicut dicemus in literarum quiescentium tractatu. Neque hic mihi dissimulandum videtur vulgi Parisiensium vitium, qui *faisant* -- participium pronuntiant *fesant* ⏑-, spondaeo in iambum mutato. Denique et illud notandum est, hanc diphthongum interdum scribi quidem, sed pronuntiatione cum diphthongo *ei* confundi. Nam scribimus quidem *bain* (balneum) et *gain* (lucrum) et *plain* (planus), quae tamen sic efferimus ut si scriptum esset *bein*, *guein*, *plein*, integra tamen in derivatis restituta diphthongo, ut *plaine* (plana), *baigner* (balneare), pro quo tamen extrito *i* multi pronuntiant *bagner*. Sic etiam a voce *gain* deducitur verbum *gaigner*, ut a Picardis adhuc hodie profertur; purius autem loquentes hodie eliso *i* pronuntiant *gagner*. Idem contigit in his vocibus *guairir* et *guairison*, quas plerique extrito *i* proferunt *guarir* et *guarison*. Mihi tamen illa vetustior pronuntiatio magis probatur.

Au et *ao*.

Haec quoque diphthongus aliter pronuntiatur quam scribitur, sic nimirum ut vel parum vel nihil admodum differat ab *o* vocali, ut *aux* (allia), *paux* (pali), *vaux* (valles), quae vix aliter mihi videntur sonare quam in *os* (ossa), *vos* (vestri), *propos* (propositum). Normanni vero sic illa sonore pronuntiant ut *a* et *o* audiantur, ut qui dicant *autant*, perinde pene acsi scriptum esset *a-o-tant*; fitque fortasse antiqua et vera huius diphthongi tum prolatio tum scriptura, quae in pauculis adhuc dictionibus a nonnullis servatur, nempe in *paon* (pavo), *faon* (foetus), in quibus nunc *o* quiescit. Pronuntiamus enim *pan* et *fan*. At in verbo *faonner*, quod de cervarum partu dicitur, mansit et scriptura et pronuntiatio huius diphthongi integra. Sic veteres Franci scribebant et pronuntiabant *paour* (pavor). At nunc sic quidem plerumque haec dictio scribitur, sed tamen effertur per *eu* diphthongum, acsi scriberemus *peur*. In duobus autem istis vocabulis *paovre* (pauper) et *paovrete* (paupertas) videtur *a* insertum, ne quis pronuntiaret *pou-re*, et *pou-re-te* per *ou* diphthongum. Sed vitari facilius hoc potuit, si vel ut maiores nostri usurpato charactere *v* con-

sonantis scriberetur *povre* et *povrete*, vel per *au* diphthongum *pauvre* et *pauvrete*, ut hodie nonnulli scribunt. Itaque ut ad diphthongum *au* revertar, quum initio scriberetur et efferretur per *ao*, quam prolationem Normanni retinent, *o* paulatim in *u* mutatum fuit, unde tandem tertia hodie usitata prolatio nata est, *a* extrito et hac diphthongo ut *o* simplex pronuntiata. Sed hîc observandum est, si hanc scripturam proxime sequatur aliqua vocalis, tunc nullum esse huic diphthongo locum, sed *v* esse consonantem quam digamma Aeolicum vocavimus, et cum illa proxime sequente vocali cohaerere, ut *avare* (avarus), *aventure* (eventus fortuitus), *aviron* (remus), *avorter* (abortire), *avoir* (habere), *Auvergne* (Alvernia). Praeterea istud quoque praetereundum non est, hanc diphthongum saepissime nasci ex *al* syllaba in derivatis a Latino sermone deductis, ut *aultre* ab alter, *hault* ab altus, et alia plurima, sic tamen ut si occurrerit in ultima syllaba, servetur in recto singulari, mutetur autem in *au* in plurali, ut *mal* (malum), *maux* (mala), *cheval* (caballus), *chevaux* (caballi). Postremo et illud est observandum, errore factum ut in futuro indicativi et praeterito imperfecto coniunctivi ab infinito modo verbi habere *v* consonans tanquam vocalis in

hanc diphthongum *au* coiens pronuntiari coeperit, nempe ut *au-rai, au-ras, au-ra, au-rons, au-rez, au-ront,* quum et infinitus modus, a quo futurum indicandi modi formari consuevit, nempe *avoir*, et ipsum etymon Latinae dictionis, manifeste convincant *v* consonantem esse in hoc toto verbo, in quam *b* litera fuit mutata, sicut *p* mutata etiam est in eandem consonantem in verbo recipere, *recevoir*, unde deducitur futurum *recevrai.* Itaque non dubium est, quin maiores nostri pronuntiarent *a-vrai, a-vras*, et sic deinceps ut Itali havero, haverai, havera, haveremo, haverete, haveranno. Usus autem postea obtinuit, ut extrito *u* dici coeperit *arai, aras, ara, arons, arez, aront*, quod quidem illi per manifestam inscitiam invectae pronuntiationi anteposuerim.

Ei.

Haec diphthongus non profertur nisi mox sequente *n*, et ita pronuntiatur, ut paululum prorsus ab *i* simplici differat, ut *gueine* (vagina), *plein* (plenus), cuius tamen foemininum *plene* usus obtinuit ut absque *i* scribatur et efferatur, Picardis exceptis, qui, ut sunt vetustatis tenaces, scribunt et integro sono pronuntiant *pleine.* Idem autem usus effecit, ut in Francicis non paucis dictionibus a La-

tinis per *i* simplex scriptis deductis, haec diphthongus scribatur expresso etiam *e*, sed usque adeo obscure et correpte, ut vix eius sonus sentiatur, ut *sein* (sinus), *ceindre* (cingere), *feindre* (fingere), *peindre* (pingere), *teindre* (tingere), *veincre* (vincere) cum derivatis. Praeterea observandae sunt dictiones quae nonnisi per *διάλυσιν* scribuntur et efferuntur, ut *reiterer* (reiterare) quatuor syllabarum et *obeir* (obedire) trisyllabum cum suis derivatis. Denique ante duplex *ll* scribitur quidem *ei*, sed *i* quiescente et solo *e* aperto pronuntiato, ut *treille* (pergula), *treillis* (cancelli), *corneille* (cornix), *corbeille* (corbis), *veille* (vigilia), *veiller* (vigilare).

Eu.

In hac diphthongo neutra vocalis distincte, sed sonus quidam ex *e* et *u* temperatus auditur, quem et Graecis et Latinis ignotum vix liceat ulla descriptione peregrinis exprimere, ut *beuf*, *ceux*, *eux*, *feu*, *ieu*, *ieux*, *ioijeux*, *alleu* (allodium), *neuf* (novem), *peu* (paucum), *seur* (soror), *veu* (votum) et similia, in quorum nonnullis Picardi nescio quo modo elidunt *e*, ut quum pronuntiant *diu* et *iu* pro *dieu* et *ieu*. Sic apud eos qui purius Francice loqui existimantur usus obtinuit, ut *e* exteratur, primum in quibusdam nominibus et

verbis quae usu potius quam ullis regulis dignoscuntur, ut *seur* (securus) (nam in *seur* pro s o r o r e diphthongus integra auditur; *sur* vero pro au s t e r o g u s t u, et pro s u p e r simplici *u* scribitur) unde *seurte* (securitas), *asseurer* et *asseurance*, quasi a s s e c u r a r e et a s s e c u r a t i o n e m dicas, *meurete* (maturitas), *meur* (maturus). Et in genere per *u* vocalem simplicem a recte pronuntiantibus efferuntur quaecunque verbalia desinunt in *eure* longum, ut *blesseure* (laesura), *casseure* (fractura), *navreure* (vulneratio), *rompeure* (ruptura) ab infinitis *blesser*, *casser*, *navrer*, *rompre*. Idem observandum est in omnibus participiis praeteriti temporis passivis tum masculinis tum foemininis in hanc diphthongum terminatis, ut *eu* (habitus), *eue* (habita) (quas voces Aurelii et vicini Carnutes vitiosissime efferunt per *διάλυσιν* *eü* ut dissyllabum) *beu*, *beue* (bibitus, ta), *receu*, *receue* (receptus, ta) *creu*, *creue* (creditus, ta), *deu*, *deue* (debitus, ta), *leu*, *leue* (lectus, lecta), *meu*, *meue* (motus, mota), *seu*, *seue* (scitus, scita), *teu*, *teue* (tacitus, ta), *veu*, *veue* (visus, visa) et alia eiusmodi. Idem observandum in subiunctivi modi tempore imperfecto, ut *seusse* (scirem), *eusse* (haberem), quae tamen omnia tum nomina tum participia Carnutes (ut dixi) et Normanni hac integra diphthongo proferunt, ut

et Aquitani interiores, apud quos poetas saepe invenias falsa *ὁμοιοτέλευτα* hac diphthongo, ut *heur* et *dur*, *engraveure* et *figure*, *heure* et *nature*.

Quod autem diximus de diphthongo *au*, est etiam in ista obvervandum, nempe vocali proxime sequente nullum esse huic diphthongo locum, sed *v* consonantem esse et cum illa vocali cohaerere, ut *severite* (severitas) quatuor syllabarum; *rece-vrai* (recipiam), *aperce-vrai*, (percipiam).

Oi.

Haec diphthongus nativo suo sono id est utraque correpte prolata vocali profertur, quoties cum illa cohaeret *n*, ut *moins* (minus), *moindre* (minor), *soin* (sollicitudo), *loin* (longe), *besoin* (necessitas), *tesmoin* (testis), quibus dictionibus extremis imperite nonnulli *g* adiiciunt. Sin minus, id est nisi *n* habeat adiunctum, non amplius diphthongi, sed triphthongi sono pronuntiatur, nempe ut *oai*, et diphthongus *ai* pro *ae* sive pro *e* aperto, ut *loi* (lex), *loix* (leges), *moi* (ego), *mois* (mensis), *roi* (rex), *soi* (se), *toi* (tu), *voi* (video), quas dictiones vulgo vitiose per falsum *y* Graecum scribunt, ut suo loco diximus. Huius autem diphthongi pinguiorem et latiorem sonum nonnulli vitantes expungunt *o* et solam

diphthongum *ai*, id est *e* apertum retinuerunt, ut Normanni, qui pro *foi* (fides) scribunt et pronuntiant *fai*, et vulgus Parisiensium *parlet* (loquebatur), *allet* (ibat), *venet* (veniebat) pro *parloit*, *alloit*, *venoit*, et Italo-franci pro *Anglois*, *François*, *Escossois* pronuntiant *Angles*, *Frances*, *Escosses*, per *e* apertum ab Italis nominibus Inglese, Francese, Scozese. Nam ab hac triphthongo sic abhorret Italica lingua, ut *toi*, *moi* et similia per dialysin, producto etiam *o* pronuntient *fo-i* et *mo-i* dissyllaba.

Corruptissime vero Parisiensium vulgus Dores πλατειάζοντας imitati, pro *voirre* sive ut alii scribunt *verre* (vitrum), *foirre* (palea farracea) scribunt et pronuntiant *voarre* et *foarre*, itidemque pro *trois* (tres), *troas* et *tras*.

Ou.

In hac diphthongo neque *o* sonorum neque *u* exile, sed mixtus ex utroque sonus auditur, quo Graeci quidem veteres suum *o*, Romani vero suum *u* vocale, ut et nunc Germani, efferebant, unde illud accidit, ut nunquam in Latina lingua haec diphthongus scriberetur. Sed hîc, ut ante admonui, cavendum est, ne vel Lugdunensium qui *ou* pro *o*, ut *noustre, voustre* pro *nostre*, *vostre*,

vel Delphinatum et Sabaudorum vitium sequamur, qui errore contrario *o* pro *ou* proferunt, ut *cop*, *beaucop*, *oi*, *torment*, *dolour* pro *coup, beaucoup*, *oui, tourment*, *douleur*.

Ie.

Haec etiam utraque vocalis raptim pronuntiata coalescit in unicam syllabam, ut *biere* (zytum vel sandapila), *tiede* (tepidus), dissyllaba et foeminina omnia adiectiva a masculinis in *ier*, ut *entiere, merciere, chambriere*, tum post diphthongos *ai*, ut *plaije*, *oi*, ut *ioije*, *ioijeux*, *ui*, ut *essuijer*, *ennuijer*, tum ante *d* in unico nomine *pied* (pes), ut scribunt et pronuntiant integre Picardi, tum ante *l*, ut *ciel*, *fiel*, *miel*, *viel*. Itidem ante *n* vel cum ipsa diphthongo coalescens, ut *bien*, *chien*, in quibus tamen vocibus diximus *e* ut *i* proferri, acsi scriptum sit *biin*, *chiin*, vel separatim ut *chiene*, *miene* dissyllaba, *Estienne* trisyllabum. Item ante *r*, sive in prima syllaba, ut *tiercement* trisyllabum, sive in fine, ut *acier* (chalybs), *cordier* et *fier*, *hier* monosyllaba, *chevalier* trisyllabum, *premier*, *panier*, *tripier*, *requier* (requiro), *brasier* (prunae), *chaussetier*. Excipe infinitos omnes modos verborum activorum in *ier* desinentes, qui omnes per *διάλυσιν* proferuntur, ut *fier*

(fidere), *nier* (negare) dissyllaba, quod valet etiam in verbalibus inde deductis, ut *renieur*, *ennuieux* ab infinitis *renier*, *ennuier*, et nominibus in *ieux*, quae a Latinis in osus oriuntur, ut *curieux* (curiosus) trisyllabum et similia.

Ui.

In hac quoque diphthongo mere Graeca utraque auditur vocalis uno tractu pronuntiata, ut *buis* (buxus), *huis* (hostium), *lui* (ipse), *mui* (modius), *nuict* (nox), *nui* (noceo), *puis* (post), *sui* (sequor), *suis* (sum), *ruis* (antiquum Francicum nomen pro rivo, unde) *ruisseau* (rivulus), quae omnes dictiones, ut et similes aliae, sunt monosyllabae; sic *huistre* (ostrea) dissyllabum est, *destruire* trisyllabum, *reconduire* tetrasyllabum et alia quamplurima. Sed observanda est syllaba *vi* per digamma Aeolicum efferenda et ab hac diphthongo prorsus diversa, ut *vivre, vie*, *victoire*, *vin*. Nam ab hac diphthongo nulla Francica dictio inchoatur. Sic etiam *envie* et *envieux* et alia similia non hac diphthongo, sed Aeolico digammate sive *v* consonante pronuntiantur.

De falsis diphthongis duabus *ea* et *eo*.

Falso inter diphthongos a grammaticis nostris nonnullis istae vocalium coniunctiones referuntur, quum *e* in utraque quiescat, sicut in *g* litera diximus, nec aliam ob causam adhibeatur, quam ut significet *g* in his dictionibus non, sicut ante *a* et o consuevit, suo nativo sono, sed pro *j* consonante proferendum, ut *mangea* et *flageolet*, quasi scribatur *manja* et *flajolet*. Species tamen quaedam est prioris diphthongi in *oui dea*, ut maiores nostri loquebantur pro eo quod nunc dicimus *oui da*, affirmationem augentes, quam particulam subtiliter nonnulli volunt esse Graecorum *δὴ* Dorice mutatum. Hoc vero ne cui videri possit inane commentum, sciat adhuc apud Aurelios usitatissimum esse iurisiurandi speciem *ma dia*, id est *μὰ δία*, et *ni da*, quod est manifeste Graecorum *νὴ δία*.

De Francicis triphthongis.

Habent etiam triphthongos Franci, alias quidem veras et legitimas, nempe *eau* et *ieu*, alias vero falso sic appellatas, nempe *iei*, *ueu*, *oui*, alias denique mutata pronuntiatione non modo iam superfluas, sed etiam

noxias ac merito, si pati posset linguae consuetudo, expungendas, cuiusmodi sunt *oeu, oei, uei.*

Eau.

In hac triphthongo auditur *e* clausum cum diphthongo *au*, quasi scribas *eo*, ut *eau* (aqua), quam vocem maiores nostri scribebant et proferebant addito *e* foeminino *eaue*, *seau* (situla), *ruisseau* (rivulus), *veau* (vitulus), *beau* (bellus) sequente consonante, ut *un beau manteau*, *un beau garçon*; nam sequente vocali dicimus *bel*, ut *un bel homme*, *un bel accord*, unde oritur foemininum *belle* (bella). Vitanda est autem vitiosissima vulgi Parisiensis pronuntiatio in hac triphthongo, nempe *l'iaue* et *l'iau* pro *l'eau*, *beau*, *ruisseau* et similia.

Ieu.

Auditur etiam in hac triphthongo *i* vocalis cum diphthongo *eu* raptim pronuntiata, ut *cieux* (coeli), *Dieu* (Deus), *dieux* (dii), *lieu* (locus), *lieux* (loci), *ieux* (oculi) a singulari obsoleto *ieul*, quo vulgus Parisiensium adhuc utitur. Est autem haec dictio a vocabulo *jeux* (ioci) discernenda, in qua *i* non est vocalis, sed consonans. Et hîc monendi sunt Germani, ut paulatim huic triphthongo rap-

tim pronuntiandae assuefiant, utpote qui *Dïeu* quasi dissyllabum et quidem priore producta proferre consueverint. Et hae quidem sunt verae triphthongi; quae vero sequuntur sunt adulterinae, nempe *iei*, *ueu*, et *oui*.

Iei.

Sic scribitur haec vox *vieille* (vetula), in qua vocalis *i* apponitur, non ut proferatur, sed ut ostendat duplex *ll* esse molliter enuntiandum, sicut in *l* litera docuimus. Nam alioqui pronuntiaremus *viele* per simplex *l* et prius *e* apertum, quod est instrumenti cuiusdam musici nomen.

ueu.

Ne haec quidem est triphthongus, quum in hac trium vocalium congerie, sola *eu* diphthongus audiatur, *u* vocali praeposita, non ut efferatur, sed ut ostendat, *c* vel *g* literam, quum ante *e* soleat, illa quidem ut *s*, ista vero ut *j* consonans pronuntiari, nativo suo sono, ubi haec diphthongus occurrit, esse proferendam, ut *cueur* (cor), quasi *keur* scribas, *gueule* (gula), *gueux* (mendicabulum). Sic etiam scribitur vetus Gallicum vocabulum *queux* (coquus).

Oui.

Scribi solent hae tres vocales in quibusdam dictionibus ante *ll* molle, ideoque triphthongum non constituunt, quum *i* non sit adiecta ut pronuntietur, sed ut mollem sonum illum duplicis *ll* significet, ut *mouiller* (madefacere), *rouille* (aerugo), qua etiam ratione, nempe et situ et pronuntiatione, haec syllaba differt ab *oui* dissyllabo, ut *oui* (ita et auditus), *iouir* (frui), *esiouir* (laetari) et similia.

Oeu.

Huius triphthongi ut et duarum sequentium usus plane nullus est in pronuntiatione, quae tamen peregrinos torquere possit. Nam scribimus quidem *oeuvre* (opus), *voeu* (votum), *oeuf* (ovum), sic etiam adhuc nonnulli scribunt *boeuf* (bos), in quibus tamen omnibus *o* penitus quiescit. Pronuntiamus enim *euvre*, *veu*, *euf*, *beuf*; neque video cur *o* adscribatur, nisi fortasse propter Latinas voces a quibus deducuntur, nempe o p u s, v o t u m, o v u m, b o s, vel quoniam in horum derivatis *e* mutatur in *o*, ut *ouvrier* (operarius), *over* (ova parere) per *v* consonans, *bouvier* (bubulcus). Sed neutra haec ratio ullius est momenti, neque causam iustam huius scribendae triphthongi

video, nisi fortassis in hoc unico verbo *coeuvre* et *coeurre*, quibus utebantur veteres pro *couvre* (cooperit) et *courir* (currere), in quo vocalis *o* quiescens ostendit, *c* literam esse non pro *s*, sed nativo suo sono efferendam, quo modo etiam plurimi hodie scribunt *coeur*, cor.

Oei.

Hae tres voces sic scribi plerunque solent in unica voce *oeil* (oculus), quae scriptura si est germana, ostendit maiores nostros pronuntiasse *oel* pro oculo, singulari numero. Sed suspicor potius, *u* alteram *eu* diphthongi vocalem fuisse ab imperitis extritam, et veteres scripsisse *oeul*, praeposito *o* quiescente, sicut in proxime praecedente triphthongo diximus, ad ostendendum Latinae vocis oculus etymon. Eadem autem inscitia factum est, ut *i* vocalis quiescens huic dictioni insereretur, nempe propter derivatum *oeuillade*, quo significatur oculorum in rem aliquam coniectio, in qua dictione *i* adiicitur de more, non ut proferatur, sed ut mollem illum sonum duplicis *ll* designet, sicut aliquoties iam repetivimus. Utcunque sit, oculum vocamus *eul*, *eu* diphthongo pure et integre prolata.

Uei.

Hae tres vocales nusquam nisi ante duplex *ll* scribuntur, inserta rursus vocali *i*, non ut proferatur, sed ut mollis ille duplicis *ll* sonus ostendatur. Nec tamen in *ue* auditur *u* et *e*, sed diphthongus *eu* plene et sonore prolata. Sic enim pronuntiamus *cueillir* (colligere) cum derivatis et compositis, *fueille* (folium) cum derivatis, *vueille* (velim), ac si *i* quiescente et duplex illud molle *ll* designante scribatur *feuille, veuille*, et *o* quiescente et nativum sonum *g* literae indicante scribatur *coeuille.* Cur igitur, inquies, non sic scribitur et pronuntiatur? certe propter characterum inopiam, quoniam maiores nostri solis Latinis literis sive potius Graecogallicis contenti, exprimere tamen illos peculiares quosdam suos sonos nequiverunt, veluti *e* foeminini et *e* aperti, duplicis *ll* et *n* mollis. Itaque necessitas quaedam huc eos adegit, ut vocales *eu* diphthongi ad hunc de quo nunc agimus in illis vocibus exprimendum sonum transponerent, ne quis nimirum per *v* consonantem pro *fueille* pronuntiaret *fe-vi-lle*, pro *vueille ve-vi-lle*, pro *cueille cue-vi-lle.* Sed haud scio, an haec ratio satis magni fuerit momenti. Scribimus nunc *fouiller* (scrutari), *mouiller* (madefacere),

grenouille (rana), *quenouille* (colus) et similia, neque veremur, ne quis ista pronuntiet *fo-vi-ller, mo-vi-ller, gre-no-vi-lle, que-no-vi-lle.* Sed ego quidem videre me non posse profiteor, cur scribendum sit *dueuil* (luctus) et *vueil* (volitum), quum nullus hîc sit prorsus locus *i* vocali, neque ut prolatae, neque ut quiescenti. Nam clare ac sonore pronuntiamus *deul* et *veul*, in quibus *eu* diphthongus usitate mutatur in *ou* in derivatis, ut *douloir*, *vouloir*, sicut a *douleur* et *langueur* formamus *douloureux* et *langoureux.* Sic imperite scribitur *orgueil* (superbia) pro *orgueul*, *u* quiescente et duntaxat ostendente, *g* literam esse nativo suo sono (non autem pro *j* consonante) pronuntiandam, ut in *langueur*, *rigueur* et similibus. Inserta autem fuit illi voci *orgueil* per inscitiam litera *i* propter eius derivatum *orgueilleux*, ubi tamen quiescit et mollem sonum illum duplicis *ll* demonstrat.

De literis quiescentibus.

Literas quiescentes habet Gallica lingua Hebraeorum more, quarum plerasque tamen probabile est olim fuisse pronuntiatas et paulatim usu quodam veluti attritas, ut ex eo liquet quod vix ulla est Galliae provincia

cuius dialecto nonnullae literae non sileant, quae in alliis efferuntur. Quiescentes autem istae in nonnullis vocibus idcirco retinentur, ut discrimen aliquod constituatur inter voces alioquin similiter prorsus enuntiatas, ut quum scribimus *fust* (esset), ut distinguatur a *fut* (fuit), itidemque *fist* (faceret), ut discernatur a *fit* (fecit), in quibus tamen utrisque eadem prorsus auditur pronuntiatio, eo excepto quod in *fust* et *fist* auditur tonus circumflexus, aliorum vero duorum, puta *fut* et *fit*, brevis est pronuntiatio, quod discrimen typographi imperiti non observant. Subserviunt etiam literae quiescentes indicandae etymologiae, ut quum scribimus *petits*, inserta litera *t*, quae tamen quiescit, nempe ut sciamus, hunc numerum pluralem non deduci a nominativo *peti*, sicut dicimus *ami* numero singulari, et numero plurali *amis*, sed a nominativo *petit*, et ut moneamur foemininum adiectivum non esse *petie*, sicut a masculino *ami* deducitur foemininum *amie*, sed *petite*. Verum ut haec ratio in nonnullis dictionibus valeat sitque diligenter observanda, non tamen consequitur, tantam esse habendam etymologiae rationem, ut necesse sit temere quasvis literas ad illam declarandam requiri, ut interim non dissimulem plus hîc saepe valuisse infelicissimam

seculorum barbariem quam rationem. Itaque fatendum est multas hodie in Gallico scribendo sermone literas quiescentes scribi, quas omitti praestiterit, si modo posset istud ab imperitis, quorum longe maximus est numerus, impetrari. Dicemus autem priore loco de quiescentibus vocalibus.

De *A*.

A si occurrat geminatum, prius quiescit, quod in paucissimis vocabulis evenit, ut *baailler* (oscitare), ut distinguatur a *bailler* (tradere), item in hac voce *aage* (aetas), quam nonnulli scribunt *eage*, et videntur Galli veteres hac in re imitati veteres Romanos, quos ait Fabius consuevisse productas vocales scribere geminas, sicut etiam Graecorum η duo epsila et ω duplex *o* refert. Voces autem istae *Isaac*, *Aaron*, *Baal*, ut Hebraeae sunt, sic etiam integro suo duplicis vocalis sono Hebraico pronuntiari debent.

II. Quiescit coniunctum cum *o*, ut nonnulli scribunt *saoul* (satur), quum pronuntiemus *soul*, immo etiam *sou*, quiescente litera *l*. Sic quoque scribitur *paoure*, pro quo pronuntiamus *povre*, digammate videlicet Aeolico, cuius characteris neglectus usus Francicae linguae scripturam multis literis alioqui minime necessariis oneravit.

III. Quiescit coeunte vocali *i* et *n* ad constituendam syllabam eandem, ut *pain* (panis), *ainsi* (ita), *sainct* (sanctus), in quibus *a* non auditur. Campanorum vero istud est proprium, quod in his vocabulis pronuntiant diphthongum *ai*, id est *e* quod apertum vocavimus, ut *pen*, *men*, pro quo Itali per *a*, *pan* et *man*. Sed si *n* sese adiungat sequenti vocali, tunc diphthongus *ai* tota pronuntiatur. Sic dicimus in adiectivo masculino *vain*, quasi scriptum sit *vin*, *a* vocali vel prorsus quiescente vel exiliter admodum sonante, at in foeminino dicimus *vaine* et similiter *seraine* (serena), sic *sain* (sanus), in foeminino *saine* (sana).

De *E*.

E quiescit similiter in diphthongo *ei*, sequente *n* in eadem syllaba, ut *plein* (plenus), quasi scriptum sit *plin*; contra vero in foeminino exteritur *i*; pronuntiamus enim et scribimus *plene*.

II. Superflua est haec litera et merito, si ratio usui dominaretur, expungenda in quibusdam vocabulis, ut *sein* (sinus), *peindre* (pingere), *ceindre* (cingere), *veincre* (vincere), *feindre* (fingere), docente etymo, temere et per abusum literam *e* in haec vocabula irrepsisse.

III. Quiescit sequente *a* vel *o* post *g*, ut *mangea* (manducavit), *gagea* (pignus deposuit), *flageol* (calamus agrestis), in quibus vocibus scribitur *e*, non ut proferatur, sed ut ostendat *g* in illis non retinere nativum suum sonum ante *a* et *o*, sed pronuntiandum esse ut *j* consonantem.

IV. Quiescit praecedente *c* et sequente *a*, ut *commencea* (incepit), vel *o*, ut *commenceons* (incipiamus), ubi rursus scribitur *e*, ut significet literam *c* non retinere suum nativum sonum ante *a* et *o* in illis dictionibus, quasi scriptum esset *commenka*, *commenkons*, sed pronuntiari per duplex *s*, sicuti diximus in *c* litera, ut si scriptum sit *commenssa* et *commenssons*.

V. Quiescit saepe in diphthongo *eu*, in qua auditur tantum *u*. Huius rei exemplum habemus duplex in hac voce *heureux*, in cuius priore syllaba Galli recte pronuntiantes omittunt literam *e*, quasi scriptum sit *hureux*, in posteriore vero totam diphthongum sonant, quamvis haec vox oriatur a monosyllaba dictione *heur*, in qua diphthongus *eu* tota auditur. Locum autem habet haec regula sine exceptione in participiis omnibus passivis hac diphthongo terminatis, ut *eu* (habitum), *sceu* (scitum), *receu* (receptum), *veu* (visum) et similibus, quasi scriptum sit

u, *su*, *ressu*, *vu*, vitiose totam in his diphthongum efferentibus Aureliis et Carnutibus atque adeo Normannis.

De *I*.

I quiescit ante duplex *l*, quod molle vocavimus, praecedente vel *a*, ut *caille* (coturnix), vel *e*, ut *oreille* (auris), vel diphthongo *eu*, ut *feuille* (folium) — sic enim scribendam arbitror hanc vocem et alias similes, non ut vulgo solent, *fueille*, *vueille* —, vel *ou*, ut *mouiller*. Non quiescit autem etiam ante duplex *ll* molle, quando finit praecedentem syllabam, ut *bille*, *fille*, *famille*, *chenille*, *piller* cum derivatis.

De *O*.

Haec vocalis quiescit in diphthongo *ao*, ut *paon* (pavo), *faon* (foetus). Est enim Gallis molestissimus concursus vocalium *o* et *a*, etiam extra diphthongum et interposito *n*, ut *on a dit*, quod pronuntiamus, quasi daghessato *n* Hebraeorum more scribatur *on na dit*. Bituricensium certe mos in hoc sono efferendo per simplex *n* molestissimus est Francorum pure loquentium auribus. Sed et quum praecedit *a* finiens dictionem, si sequens dictio incipiat ab *o*, interponitur *t*, quamvis non scribatur. Scribunt enim Galli

dira-on (diceturne) et *ira-on* (ibiturne), pronuntiant autem *dirat-on*, *irat-on*, nisi malimus dicere *dira-lon*, *ira-lon*. Sed de hoc dicemus in litera *t*.

Item quiescit in triphthongo *oeu*, ut *oeuvre* (opus), *boeuf* (bos), *oeuf* (ovum), quae pronuntiantur, ut si scriptum esset *euvre*, *beuf*, *euf*, in quibus certe scribendis vocibus *o* praetermitti potuit, ut suo loco diximus.

De *U*.

U vocalis quiescit post *g* sequente *e*, ut *langue* (lingua), vel diphthongo *eu*, ut *gueule* (gula), vel *i*, ut *languir* (languere), idcirco tantum adscriptum, ut significetur *g*, quod ante *e* et *i* pronuntiari solet ut *j* consonans, nativum suum sonum in illis vocibus retinere.

Item quiescit post *c* sequente *eu*, ut *cueur* (cor), quomodo etiam scribunt *cueuillir* et *recueul*, sic pronuntiata, ac si per *k* scriberetur *keur*, *keuillir*, *rekeul*.

Item quiescit post *q*, quaecunque vocalis sequatur, nempe vel *a*, ut *quand*, vel *e*, ut *que*, vel *i*, ut *qui*.

Postremo quiescit in quibusdam temporibus verbi habeo, nempe in futuro modi indicandi et imperfecto modi subiunctivi. Nam haec tempora incipiunt a vocali *a* et *v* con-

sonante, quae consonans *v* paulatim est extrita, ac proinde perperam a nonnullis pro *u* vocali accipitur ad constituendam diphthongum *au*. Itaque sic quidem scribitur futurum *i'aurai* (habebo), *tu auras* (habebis), *il aura* (habebit), *nous aurons* (habebimus), *vous aurez* (habebitis), *ils auront* (habebunt), imperfectum vero subiunctivi *i'auroi* (haberem), *tu aurois* (haberes), *il auroit* (haberet), *nous aurions* (haberemus), *vous auriez* (haberetis), *ils auroient* (haberent), quae omnia extrita, ut usus obtinuit, consonante *v*, pronuntianda sunt per simplex *a*, ac si scriptum esset *arai*, *aras*, *ara*, non autem per diphthongum *au*. Nam *v* esse in his vocibus consonantem sive digamma, non autem vocalem, ostendit infinitus modus *avoir* (habere) et analogia. Mutatur enim *b* in *v* digamma, non in *u* vocalem, ac proinde dubium non est, veteres Gallos pronuntiasse *i'aurai*, *i'auroi* et caeteras personas per *v* consonantem *i'avrai* et *i'avroi*. Sicut Itali pronuntiant h a v e r o et h a v e r e i.

De consonantibus quiescentibus.

Regulae generales duae.

I. Nulla consonans quiescit inchoans syllabam praeter *g* ante *n* molle, sicut in

g dicemus, et *s* in plurimis vocibus, sicut suo loco declarabimus.

II. Quoties scribitur duplex consonans, prior quiescit, exceptis *cc*, *mm*, *nn*, *rr*, quarum neutra quiescit, sed prior syllabam praecedentem terminat, posterior vero syllabam inchoat, ut *acces* (accessus), *homme* (homo), *bonne* (bona), *guerre* (bellum). Duplex enim *ll* non pronuntiatur ut duplex, sed vel ut simplex, ut *femelle* (foemina), *belle* (bella), vel molli illo sono, de quo saepissime iam a nobis dictum est. Itidemque duplex *s* non pronuntiatur ut duplex, sed ut simplex nativo suo sono, ut *chausse* (caliga). Servanda autem est in primis haec regula in adiectivis pluralibus, in quibus formativa itera numeri singularis servata asperiorem redderet pronuntiationem, ut *cs* in *secs* a singulari *sec*, *fs* in *griefs* a *grief*, *ls* in *tels* a *tel*, *ps* in *seps* a *sep*, *ts* in *petits* a *petit*, in quibus omnibus aut prior consonans quiescit, aut ita molliter pronuntiatur, ut vix sentiatur.

De *B*.

B nullam Gallicam dictionem claudit, ut neque Graecam neque Latinam, excepta unica Latina praepositione ab, quae est a Graecorum ἀπὸ deducta, ut Graeca rursus

ab Hebraea voce ab, quae originem notat; sed Hebraeas duntaxat aliquot voces finit, ut *Jacob*, *Nadab*. Finiens autem syllabam intra ipsam dictionem, nunquam scribitur nisi vel ante *s* simplex, ut *absent* (absens), *obseques* (exequiae), et tunc non quiescit, vel ante *sc*, et tunc pronuntiatur quidem, sed ita ut eius literae siccitas mitigetur, quantum fieri potest, ut *obscur* (obscurus) cum derivatis, perinde pene acsi scriptum sit *oscur*, vel ante *st*, et tunc vel quiescit prorsus, ut in his vocibus *obstine* (obstinatus) et *obstination* (obstinatio), quae pronuntiamus *ostine*, *ostination*, vel quantum fieri potest lenitur, ut *abstenir* (abstinere), *abstinence* (abstinentia), vel ante *j* consonantem, ut *object* (obiectum), et tunc pleno suo sono effertur. Ante digamma vero aliquantulum lenitur, ut in *obvier* (occurrere) sic fere efferendo, ut si scriberetur *ovier*. Inde hemistichion illud Gallico-latinum Omnia malo viae, *on i a mal obvie*. Postremo quiescit in praepositione *soubs* et *dessoubs*, quae pronuntiantur *sous* et *dessous*.

De *C*.

C quiescit ante *q*, ut *acquerir*, *acquest*, *acquiter* et similia, in quibus etsi propter etymon scribitur, potuit tamen optima ra-

tione praetermitti. Item ante *t* proxime sequens in fine dictionis, ut *ject* (iactus), *object* (obiectum), *faict* (factum), quae perinde pronuntiantur, acsi scriptum esset *jet*, *objet*, *fait* etc. Sic etiam scribuntur et pronuntiantur participia passiva, ut *dict* (dictum), *faict* (factum), nempe ut distinguantur a tertiis personis singularibus *dit* (dicit), *fait* (facit). Intra dictionem autem haec syllaba *ct* integra pronuntiatur, ut *acte* (actus), *action* (actio), *actif* (activus), *affection* (affectio), *detracteur* (detractor). Excipe *traicter* (tractare) cum derivatis et *dicton* (dictum sive sententia iudicis), in quibus *c* quiescit. Finiens autem dictionem haec litera, quaecunque vel vocalis vel consonans sequatur, integra pronuntiatur, ut in his vocibus *broc*, *froc*, *soc*, *sec*, *suc* et similibus.

De *D*.

D quiescit in hac voce *pied*, quamvis a Picardis exprimatur quasi per *t* scribatur, unde *pieton* (pedester). Item quiescit *d* litera ante *j* consonantem, ut *adjuger* (adiudicare), *adjurer* (adigere iureiurando), *adjourner* (diem dicere), *adjouster* (addere) etc. cum derivatis. Item ante *m*, ut *admonester* cum derivatis. Excipe *admirer* (admirari) cum derivatis. Item ante *v* consonantem,

ut *adviser* (deliberare), *advis* (sententia). Finiens autem dictionem quiescit, quaecunque consonans sequatur, sic ante *b*, ut *quand bon temps viendra*, et ante *c*, ut *quand cela se fera*, et ante *f*, ut *quand faudra le monde*, sic pronuntiatis, acsi scriptum esset *quan bon temps*, *quan cela*, *quan faudra*, quod in caeteris consonantibus sine exceptione servatur.

De *F*.

Diximus antea, hanc literam apud Gallos idem valere atque φ Graecorum et ph Latinorum. Ideo in Gallicis dictionibus quae desinunt proprie in digamma Aeolicum, id est *v* consonantem, scribitur haec litera ut pronuntianda, ut *bref* (brevis), *gref* (gravis), *nef* (navis). Sed in foemininis quae ab illis masculinis adiectivis formantur, restituitur digamma, ut *breve*, *greve*; sic etiam a *vif* (vivus) deducitur foemininum *vive* et a *naïf* (nativus) formatur foemininum *naïve*. Usus autem obtinuit, ut in quibusdam eiusmodi vocabulis *f* servetur cum ipso digammate; scribunt enim vulgo non pauci *brefue*, *grefue*, ne videlicet hae voces per diphthongum *eu* pronuntientur, nempe *greu-e*, *breu-e*. Sed omnino vitiosa est haec scriptura, cui vitio mederetur restitutus vetus ille character

digammatis Gallici, nempe *v*, tam initio dictionum, quam intra ipsas dictiones, ut *vive*, *naïve*, *greve*, *breve*, *neuve*.

De *G*.

G quiescit ante *n* molle ut *gagner* (lucrari). Usus tamen obtinuit, ut excipiantur quaedam, ut *signe* (signum) cum derivatis, ut *signer* (signare), *resigner* (resignare), *regne* (regnum) et *regner* (regnare), in quibus *g* quiescit et *n* nativo suo sono et non illo molli effertur, quasi scriptum sit *sine*, *siner*, *resiner*, *rene*, *rener*. Quod autem nonnulli imperiti hanc literam scribunt in his vocibus *ung* (unus), *tesmoing* (testis), *soing* (cura), *besoing* (opus), vitiose scribitur. Nam quod in derivatis *tesmoigner* (testari), *soigner* (curam habere), *besogner* (laborare) adscribitur *g*, id fit propter *n* molle, ac proinde in illis thematibus nullus est ei locus. Immo etiam non debuit etymologia efficere, ut scribatur *cognoistre* et *cognoissance*, ut alibi diximus. Scribitur autem merito et quiescit in voce *hareng*, pro halece, a quo derivatur *harengere* et *harengerie*.

De *H*.

Aspirationis nota in vocibus Graecis et Latinis aspiratis et in Francicam linguam

traductis scribitur quidem sed quiescit, ut *habiter* (habitare) cum derivatis, *habitude* (consuetudo), *habituer* (consuefacere), *halene* (halitus), *halener* (afflare), *heresie* (haeresis) cum derivatis, *Hebrieu* (Hebraeus) cum derivatis, *Hercules*, *helas* (heu), *Helene*, *Helicon*, *helebore*, *heur* (sors prospera), *heureux* (felix), *heure* (hora), *heriter* (consequi hereditatem) cum derivatis, *Herodes*, *Hilaire*, *histoire*, *hoir* (heres) cum derivatis, *homme* (homo) cum derivatis, *honneur* (honor) cum derivatis, *horeloge* cum derivatis, *horoscope*, *horreur* (horror) cum derivatis, *enhorter* (hortari) cum derivatis, *hoste* (hospes), *hospital* (nosodochium) cum derivatis, *humble* (humilis) cum derivatis, *humeur* (humor) cum derivatis, *hiver* (hiems), *hydromel*, *hydropisie* etc., quae omnes voces partim a Latinis, partim a Graecis vocibus aspiratis oriuntur, in quibus tamen aspiratio quiescit. Excipiuntur autem ab hac regula *hache*, a Latina voce hasta, item *hareng*, a voce halec cum derivatis, item *Hector* et *Henri*, item *harpe*, a Graeca voce *ἅρπη*. Similiter etiam aspiratio quiescit in his dictionibus: *huis* (ostium) cum derivatis, *huile* (oleum) cum derivatis, *huict* (octo), *huistre* (ostrea), sed aliam ob causam, nempe quoniam alioqui legi sic possent hae dictiones,

quasi *u* esset digamma non vocalis, nempe pro *huis* — *vis*, sic etiam pro *huile* — *vile* etc. Contra vero in vernaculis Gallicis scribitur simul et pronuntiatur aspiratio, ut in illis quae a Latinis non aspiratis deducuntur. Sic ab altus deducuntur Gallicae voces aspiratae *hault*, *haultain*, *haultesse*, *haulteur*, *haultement*, *hausser*. Haec autem vocabula vernaçula Gallica observavi in quibus aspiratio et scribitur et auditur: *halier* (vepretum), *haïr* (odisse) cum derivatis, *hait* (animi inclinatio gratum aliquid habens), unde compositum *souhait* et *souhaiter*, item *halbarde*, *hasle*, *hasler*, *haleter* (crebrum anhelitum ducere), *hameau*, *hameçon*, *hanche*, *hanter*, *hantise*, *hacqueboute*, *haquenee*, *hardi*, *hardiesse*, *harnieux*, *honte*, *hotee*, *hober*, *harier*, *hazard*, *hibou*, *huer*, *hucher*, *huche*, *hocher*, *hochepot*, *hacquet*, *hocquet*, *hocqueter*, *haster*, *haste*, *hastif*, *havet* (fuscina), *havre* (navale), *haije* (sepes), *heaume* (galea), *houe* (ligo), *houer* (fodere), *humer* (sorbere). Quiescit autem post *c* sequente *r* ut *Jesus Christ*, *Chrestien*, *Chrestiente*, *Sepulchre*. Item in *Jehan* et *Johan*, a Johanne.

De *L*.

L quiescit post diphthongum *eu* sequente *x*, ut *mieulx*, *ceulx*, et sequente *t*, ut *peult*; item

post diphthongum *au* sequente *t*, ut *aultre* (alius), *espeaultre* (spelta), in quibus dictionibus interseritur, ne *n* pro *u* legatur. Item quiescit in dictione *sould* pro solido sive asse, quod pronuntiatur a Picardis, acsi scriberetur *sout*; item in dictione *saoul* (satur), quam pronuntiamus *sou*. Additur autem *l*, quamvis non pronuntietur, propter derivata, ut *saouler*. Item in his duabus dictionibus *fol* et *col*, quas pronuntiamus per *ou* diphthongum *fou* et *cou*. Sed finiens dictionem haec litera, quaecunque consonans sequentem vocem inchoet, sonum suum servat.

De *M*.

M nunquam quiescit, sed, ut suo loco diximus, finiens syllabam vel dictionem non aliter pronuntiatur quam *n*, illo de quo diximus sono imperfecto.

De *N*.

N quiescit in tertiis personis verborum desinentibus in *e* foemininum cum *nt*, ut *aiment*, *aimerent*, *aimeroient*, *aimassent*.

De *P*.

P quiescit in his duabus dictionibus *temps* et *compte* (computum), ut differat a *conte* (comes), item in *sept* (septem) et *loup* (lupus) et eius plurali *loups* (lupi),

quas voces pronuntiamus *lou* et *lous*. Contra non quiescit in *coup* (ictus) et *sep* (vitis) singularibus. Verum in earundem vocum plurali, nempe *coups* et *seps*, quiescit, quas dictiones pronuntiamus *cous* et *ses*. Caeterum scribi etiam consuevit a nonnullis inter *e* et *v* consonantem, ne confundantur cum *eu* diphthongo, ut *ensepvelir* (sepelire) pro *ensevelir*, in quibus vocibus si scribatur, quiescet; verum praestiterit expungi ut supervacaneum, sicut in hac voce *escripre* (scribere), ut inepte aliqui olim scribebant.

De *Q* et *R*.

Hae literae nunquam quiescunt.

De *S*.

Haec litera finiens dictionem, quaecunque consonans proxime sequentem dictionem incipiat, quiescit, ut ante *b*, *les bons hommes*; ante *c*, *les cas*; ante *d*, *les dames*; ante *g*, *les gens*; ante *l*, *les lunes*; ante *m*, *les meschants*; ante *n*, *les nouvelles*; ante *p*, *les parties*; ante *q*, *les questions*; ante *r*, *les rois*; ante *t*, *les testes*; ante *v* consonantem, *les vieilles*, in quibus omnibus in hac dictione *les* *s* litera quiescit. Excipe *ils* pronomen plurale, in quo semper quiescit, sive sequatur vocalis seu consonans, ut *ils ont dit*,

ils disent, quae sic efferuntur, acsi scriptum esset *il ont dit* et *i disent*, etiam *l* quiescente. Intra ipsam autem dictionem nunquam iungitur haec litera cum *b* vel *d* vel *f* vel *g* vel *l* vel *r* vel *v* consonante. Supersunt autem *sc*, *sm*, *sn*, *sp*, *sq* et *st*, quas literas antecedens interdum quiescit, interdum pronuntiatur, quod usu potius discitur quam ulla regula. Possumus tamen aliquid de his quoque syllabis tradere, sed ita intelligendum, ut exceptiones ab usu petantur.

Ergo *s* in *sc* quiescit, ut *escu*, *sçavoir*, ut nonnulli scribunt. Nec enim desunt qui *s* omittant. Sic etiam pronuntiamus *science*, *s* quiescente.

In *sm* etiam quiescit, ut *blesme*, *quaresme*, *blasme*, in quibus videtur *s* scribi ad producendam duntaxat syllabam, idque non parvo abusu, quum literae non sint inventae, ut pronuntiationis quantitatem significent. Sic pronuntiamus correpte *creme* pro cremore lactis, pro chrismate vero longa penultima scribimus *cresme*.

In *sn* itidem quiescit, ut *chesne* (quercus). Sic nonnulli scribunt *Rosne* pro Rhodano. Veteres scribebant et integre sonabant *isnel* (velox).

In *sp* plerunque non quiescit, ut *es-*

perer, *esperance*, *esprit*, *espece*, *respirer*, immo nunquam quiescit dictionem inchoans, ut *specialement*, *spirituel*. Dicimus tamen *s* quiescente *espee*, *esperon*, *escrire* cum derivatis, *espouser* (uxorem ducere) cum derivatis, *respondre* (respondere) cum derivatis, quae ipso usu discuntur.

In *sq* aut semper aut certe plerunque pronuntiatur, ut *iusques*, *morisque*, praecedente *i* vel *u* vocalibus. Praecedente vero *e* quiescit, ut *evesque*.

In *st* praecedente *a* quiescit aut semper aut plerunque, ut *gaster* (vastare), *gasteau* (libum), *rasteau* (rastrum), *paste*, *pasticier*, *empaster*, *bast* (clitellae asini), *bastir* (aedificare), unde vox Provincialium *bastide* expressa litera *s*, *baston*, unde vocabulum Italico-Gallicum *bastonade*, in quo *s* sonat.

Praecedente vero diphthongo *ai* quiescit, ut *maistre*, *paistre*. Sed tamen dicimus *pasteur*, *s* expresso, pro quo in Alvernia dicunt *s* quiescente *pastre*. Sic quiescit in *pastoureau* et in *pastorelle* auditur.

Praecedente *e* *s* quiescit, ut *estre*, *este*, *beste*, *feste*, *arreste* (spina piscis), *arrester*, *preste*, *apprester*, *teste*. Excipe *geste*, *peste*, *reste*, *moleste*.

Praecedente *i* pronuntiatur, ut *miste* (homo elegans, lautus, concinnus), *mistere*, *mistion*,

histoire, *legiste*, *sophiste* et similia. Excipe *giste*, quod dicitur proprie de loco ubi iacet lepus seu cubili leporis. Item excipiuntur omnes secundae personae plurales praeteriti perfecti simplicis desinentes in *istes*, ut *fistes*, *ouistes* et similia.

Praecedente *o* quiescit, ut *oster*, *hoste*, *coste*, *nostre*, *vostre*. Excipe *poste*, *poster*, *postillon*, *ostade*, quae est species texturae. Item quiescit praecedente *ou*, ut *couster*, *crouste*, *gouster*.

Praecedente *u* pronuntiatur, ut *iuste*, *iustice*, *iustifier*, *rustre*, quae vox est vetus Gallica et significat hominem temere ruentem, vagum et temerarium.

De *T*.

Haec litera finiens dictionem, a quacunque consonante incipiat sequens dictio, semper quiescit. Sed videndum inprimis, ut si sequens dictio incipiat a vocali, haec litera praecedentem finiens cum illa vocali coniungatur, quasi ad illam dictionem sequentem pertinens, ut *ils sont à moi*, quod pronuntiandum est quasi scriptum sit *i son ta moi.* Sed in copula *et*, sicut alibi diximus, *t* semper quiescit, sive consonans sive vocalis sequatur.

De Francicae linguae accentibus.

Franci nullos accentus notant, nec veteres etiam Graeci notabant, ac ne nunc quidem Latini. Est igitur mos iste a grammaticis Graecis Hebraeorum, opinor, imitatione excogitatus, maximo certe cum fructu, ex quo disci a nutricibus illae linguae desierunt, si modo verus illius consuetudinis usus servaretur. Sed de hoc longe maximo abusu alias. Sunt qui contendant, in Francica lingua nullum esse accentibus locum. Sunt contra qui in Francica lingua tonos perinde ut in Graeca lingua constituant. Magnus est utrorumque error, quod mihi facile concessuros arbitror, quicunque aures suas attente consuluerint. Dico igitur, Francicae linguae, ut et Graecae et Latinae, duo esse tempora, longum unum, alterum breve, itidemque tres tonos, nempe acutum, gravem, circunflexum, non ita tamen ut in illis linguis observatos. Acuunt enim Graeci syllabas tum longas tum breves, et Latinos idem facere magno consensu volunt grammatici, quibus plane non assentior. Sed hac de re alias. Illud autem certo dixerim, sic concurrere in Francica lingua tonum acutum cum tempore longo, ut nulla syllaba producatur quae itidem non attollatur, nec

attollatur ulla quae non itidem acuatur, ac proinde sit eadem syllaba acuta quae producta, et eadem gravis quae correpta. Sed tonus vocis intentionem, tempus productionem vocalis indicat. Nihil autem accidere potest auribus magis ingratum quam si brevem producas, longam corripias, quod ii experiuntur qui peregrinos aut Galliae populos Francice minus pure loquentes audiunt, veluti quum Turonenses aut Pictones audimus pronuntiantes *mestresse* ⏑–⏑ pro *maistresse* –⏑⏑, aut *messe* –⏑ pro *messe* ⏑⏑, vel Sabaudos pro *faicte* ⏑⏑ proferentes *feste* –⏑, pro *prophete* ⏑⏑⏑ *propheste* ⏑–⏑, pro *misericorde* quinque syllabarum natura brevium *misericorde* penultima longa, vel Italos proferentes *parole* ⏑–⏑ pro *parole* ⏑⏑⏑, quoniam suum *parola* sic pronuntiant. Illa vero productio in Francica lingua etiam in monosyllabis animadvertitur, quae est propria vis accentus circunflexi. Sic producte circunflectuntur: *ie veu*, *tu veux*, *il veut* (volo, vis, vult), quod deprehenditur, si prioribus illis opponas *veŭ* (votum) et *veux* (vota), quae corripiuntur. Sic corripitur *beuf* et *neuf* singulari numero, quorum recti plurales *beûfs* et *neûfs*, quiescente *f* litera, circunflectuntur, ut *eûlx* et *ceûlx*. Item *fit* (fecit) et *fut* (fuit) et *eut* (habuit) corripiuntur,

fist (faceret) et *fûst* (esset) et *eûst* (haberet) circunflectuntur, ut plane pudendus sit error tum scriptorum tum typographorum qui hoc discrimen scripturae et pronuntiationis non observant. Sic etiam *êst*, *rôst*, *tôst* circunflectuntur itidemque *plaîst* (placet), *plûst* (plueret), quibus opponuntur correpta *et* coniunctio copulativa, *plaid* (contentio iudicialis), *pleut* (placuit), *plut* (pluit). Itidemque circunflectuntur *ie meûr* (morior), *tu meûrs* (moreris), corripiuntur autem *meur* (maturus) et *meurs* (maturi), foemininum autem *meûre* (matura) est trochaicum, quae usu non regulis discuntur. Caeterae vero syllabae, id est quae neque acuuntur neque circunflectuntur, natura breves censentur, exceptis monosyllabis, quae quoties enclitica secum trahunt, producuntur, ut *si ie di* dactylum sonat —⏑⏑, *qui est ce* amphibrachum ⏑—⏑, qua de re in encliticis. Sunt autem hoc loco mihi admonendi peregrini, paucissimas esse longas syllabas in Francica lingua prae innumerali brevium multitudine, ac proinde verendum illis esse potius, ne breves producant, quam ne longas corripiant, praesertim ubi falli possunt Latinae linguae quantitate: sic exempli gratia natura, vectura, fortuna, persona et similia Latine penultimam producunt, at Francicae voces

nature, *voiture*, *fortune*, *personne* eandem corripiunt. Operae pretium etiam fecerint, si hoc quoque diligenter observarint, maximum esse in Francica lingua vitium penultimam natura brevem producere, quotcunque et quaecunque consonantes illius pronuntiationem remorentur. Sic in *desordre*, *retordre*, *discorde*, *misericorde*, *noblesse*, *paresse*, *aborder*, *endormir*, *apporter*, *enhorter*, *exhorter* et infinitis aliis penultimae positione longae natura tamen corripiuntur. Sic etiam breves priores in *comme*, *sommeil*, *dormir*, *porte*, *bonne*, *donne*, *belle* nunquam nisi vitiosissime producuntur, ne in metris quidem: qua in re graviter ab iis peccari video qui Francicos versus non tantum syllabarum numero et ὁμοιοτελεύτοις, quae rhythmos vocamus, aestimant, sed etiam pedibus Graecorum et Latinorum more metiuntur, audax et nobile certe inventum, sed quod maxima difficultate non caret, tum propter longarum syllabarum penuriam, tum quod, ut modo dixi, in Francica lingua nulla positio penultimam natura brevem sine maxima aurium offensione producit. Etsi vero brevium et longarum discrimen usu potius quam arte discitur, tamen paucas istas regulas mihi libuit in peregrinorum gratiam a me observatas subiicere.

Prima Regula. Non paucae dictiones Francicae solis brevibus constant, ut *misericorde*, quae vox quinque brevibus natura syllabis constat. At nulla constat pluribus productis, minime id quidem quasi non inveniantur voces in quibus plures sint syllabae natura longae, sed quoniam vel antepenultima longa, si penultima sequens brevis fuerit, vel penultima longa sic dominatur, ut reliquae praecedentes syllabae, quamvis natura longae, nec acuantur tamen, nec vere producantur. Exempli gratia haec dictio *entendement* constat ex duabus prioribus natura longis, ut in proxima regula ostendemus, prior tamen est aequali tenore proferenda, tono et quantitate in syllabam antepenultimam reiectis. Quod si huic dictioni subieceris encliticam, ut *entendement bon*, tunc sola eius ultima acuetur, reliquis velut in ordinem redactis. Sic in hac voce *entendre*, quamvis duae priores sint natura longae, sola tamen penultima acuitur et producitur, ex tertia regula quam mox trademus. Sic in hac voce *envie* (invidia), etiam divisa, ut *en vie* (in vita), auditur amphibrachus ⏑—⏑ propter penultimam longam; at in nomine *envieux* propter penultimam brevem auditur amphimacrus —⏑— producta antepenultima, quae in *envie* corripitur.

S e c u n d a R e g u l a. Omnis syllaba desinens in literam *m* vel *n* non geminatam, sed sequente alia consonante, est natura longa. Est igitur *endormir* dactylica vox —◡◡, *feindre*, *teindre* trochaicae —◡, *bonte* spondaica ——, *temporel* dactylica —◡◡, quod etiam in diversis dictionibus accidit, ut *bon païs* —◡◡. Sed quid si *m* vel *n* geminetur? tunc syllaba corripitur, ut *somme*, *comme*, *donne*, *bonne*, *sonne*, *tonne* ◡◡, *consomme*, *ordonne*, *resonne*, *estonne* —◡◡ (quam ob rem etiam *songer*, *besongne* et similia penultima brevi proferuntur), quoniam videlicet in illis quidem dictionibus non tam est *n* duplex quam unicum daghessatum, ut apparet ex dictionibus Latinis unde deducuntur, d o n o, b o n a, s o n o, t o n o, o r d i n o, r e s o n o, in istis vero *gn* ponitur pro altero *n*, quod molle vocavimus. Excipe *ennemi* —◡◡.

T e r t i a R e g u l a. Omnes dictiones terminatae per *e* foemininum, proxime praecedente vocali, producunt penultimam, ut *aimee*, *amie*, *fondue*, *velue* ◡—◡, *mue*, *nue*, *due*, *fie*, *lie*, *joue*, *loue*, *moue*, *noue*, *aïje*, *plaïje*, *ioïje*, *voïje* —◡, *envoïje* ◡—◡. Quod si illud *e* foemininum mutetur in *e* masculinum, tunc eaedem illae penultimae corripiuntur, ut *muer*, *nuer*, *fier*, *lier*, *iouer*, *louer*, *nouer*, *envoïjer* —◡◡.

Quarta Regula. Diphthongus *au* semper producitur sive in penultima, ut *aultre* —⏑, *autant* ——, *haultain* —⏑, sive in antepenultima, ut *haultement* —⏑—, *haultaine* —⏑⏑, sive in ultima trahente secum sequentem dictionem, ut *hault et droict* —⏑⏑.

Quinta Regula. *S* inter duas vocales deprehensa ac proinde, sicut suo loco diximus, per *z* pronuntiata et vocalem singularem et diphthongum antecedentem producit, ut *iaser*, *braise*, *saison*, *plaisir*, *cause*, *bise*, *mise*, *prise*, *oser*, *chose*, *poser*, *choisir*, *loisir*, *noise*, *toise*, *user*, *ruse*, *muse*, *cuise*, *frise* —⏑; *camuse* ⏑—⏑; et in antepenultima, ut *causera*, *osera*, *embrasera*, *reposera*, *choisira*, *prisera*, *cuisine*, *usera*, *accusera*, *excusera*, *usage*, *visage* —⏑⏑; nisi obstet penultima alia ratione longa; tunc enim penultima dominatur, ut *prisee* ⏑—⏑, *accusee*, *excusee* ⏑⏑—⏑. Excipe *e* foemininum occurrens, quod nunquam producitur, ut *peser*, *gesir* ⏑⏑, *gesine* ⏑⏑⏑. Item *treze* ⏑⏑, *quatorze* ⏑⏑⏑, *moisi* ⏑—, *cramoisi* ⏑⏑—, *voisin*, *cousin* ⏑⏑, *voisine*, *cousine* ⏑⏑⏑.

Sexta Regula. *A* cum *i* quiescente ante duplex *ll* molle cum *e* foeminino dictionem finiente est longum, ut *aille*, *baille*, *caille*, *faille*, *maille*, *paille*, *saille*, *taille*, *vaille* —⏑.

Septima Regula. Personae verborum desinentes in *asse* vel *isse* producuntur, ut *passe*, *aimasse*, *ouisse*.

Octava Regula. Omne *s* sequente consonante quiescens (quibus autem in syllabis quiescat suo loco diximus) vocalem praecedentem producit, ut ante *sl hasle*, *isle* —⏑; ante *sm blasme* —⏑, *aimasmes* ⏑—⏑, *esmeute*, *esmouvoir* —⏑⏑, *blesme*, *mesme* —⏑, *caresme*, *baptesme* ⏑—⏑, *escrivismes* ⏑⏑—⏑, *seusmes* —⏑, *receumes* ⏑—⏑, *vismes*, *fismes* —⏑, *entendismes* ⏑⏑—⏑, *Cosme* —⏑; ante *sn*, ut *asne* —⏑, *alesne* ⏑—⏑, *Rosne* —⏑; ante *sp*, ut *esperon* —⏑⏑, *esperonne* —⏑⏑⏑, *espier* —⏑⏑; ante *st*, ut *est*, *rost*, *tost*, *fust*, *fist*, *eust* circunflexa, *haste*, *taste*, *teste*, *beste*, *estre*, *maistre*, *naistre*, *feste*, *giste*, *viste*, *crouste*, *vouste* —⏑; etiam in polysyllabis, ut *dosnoijer* —⏑⏑. Excipe *este* pro verbo esse et pro aestate ⏑⏑, *rostir*, *rosti*, contra naturam sui primitivi *rost*. Pronomina vero *nostre* et *vostre* ancipitem habent priorem: brevem videlicet si nomini cui adhaerent praeponantur, ut *nostre maison*, *vostre raison* ⏑⏑—⏑, sin postponantur, longam, ut *ie suis vostre*, *patenostre* ⏑⏑—⏑.

Nona Regula. Omnis syllaba ante geminatum *rr* producitur, ut *catairre* ⏑—⏑, *catairreux* ⏑——, *ferrer*, *guerre*, *ferre*, *pourrir* —⏑, *enterrer* ⏑—⏑.

De encliticis dictionibus.

Encliticae dictiones vocantur, quae a praecedentis dictionis tono pendent, de quibus haec regula certissima est:

Omnis dictio monosyllaba longa vel polysyllaba in longam desinens acuitur et brevem proxime sequentem dictionem, sive monosyllabam sive etiam dissyllabam, suo tono subiicit, quasi cum ea coiens, quod valde optarim in peregrinorum gratiam notari accentu acuto, sicut Graeci consueverunt. Exemplum monosyllabarum *c'est'moi*, *c'est' vous, c'est'lui*, *cela est'bon*, *c'est bién dict, sera bién faict*, *on s'én va.* Exemplum dissyllabarum *un bón païs, une chose bién dicte, une chose bién faicte, on s'én ira.*

De accentu interrogante.

Accentus interrogans eo differt a dictione enclitica, quod ipsa ultima syllaba orationis per interrogationem conceptae, quaecunque et quantacunque illa sit natura, in Francico sermone acuitur, ut *que dites-vous? ferez-vous cela? ne vous repentirez-vous iamais?* cuius pronuntiationis usque adeo sunt observantes Normanni, ut etiam si nihil interrogent, sed duntaxat negent aut affirment

aliquid, sermonis finem acute non sine aurium offensione pronuntient.

De Subunione.

Subunionem coeperunt accuratiores typographi notare linea diversas dictiones interiungente, quam Hebraei raphe appellant, ut *di-ie*, *dit-il*, *fit-il*, *suis-ie*, *diras-tu*, quibus sic utuntur Galli, ut Latini suis illis inquam et inquit, et aliquantulum ab encliticis ista differunt.

De Apostropho.

Apostrophon, id est aversae sive elisae vocalis notam coeperunt utiliter iidem typographi Graecos imitati adscribere, at non ubique, quod tamen factum velim, eorundem Graecorum exemplo. De hac autem nota certae sunt sequentes regulae:

Prima Regula. Omne *e* foemininum sequente quacunque vocali eliditur in pronuntiatione, ut *l'avaricieux*, *l'espee*, *l'ingrat*, *l'ouvrier*, et sequente *h* quiescente *l'homme*, *l'huis*, *la femm' avaricieuse*, *la fauls' obeissance*, *la mauvais' invention*, *ce qu'on dit*. Magnum igitur vitium est istam elisionem non observare, quod in versibus inprimis sine exceptione observatur, in quibus nullus est *e* foemineo locus, vel in quarta syllaba, si versus decem fuerint syllabarum, vel in

sexta, si fuerint hexametri, quos vulgo Alexandrinos appellant. Et generaliter in omni Francicorum carminum genere *e* foemineum in ultima versus syllaba pro nihilo habetur.

Secunda Regula. *A* in articulo *la* ante eandem vel aliam vocalem eliditur, ut *l'avarice, l'espee, l'ignorance, l'aventure, l'umbre, l'hostesse.* Idem maiores nostri faciebant in possessivis pronominibus *ma*, *ta*, *sa*, ut *m'espee, s'espee*, ut adhuc loquuntur Sabaudi. Sic in veteribus sepulchris saepissime legitur *s'ame.* Immo adhuc hodie dicitur *m'amie, s'amie*, *m'amour.* Sed usus obtinuit, ut in caeteris dictionibus potius usurpetur soloecismus, substitutis pronominibus masculinis *mon*, *ton*, *son*, ut *mon espee*, *mon hostesse*, *son avarice*, *son ignorance.*

Tertia Regula. *I* nunquam eliditur nisi ante pronomen *il*, ut *s'il vient* pro *si il.* Male igitur Lugdunenses *ce qu'est* pro *ce qui est*, *s'on* pro *si on*, quo tamen abusus sum ego licentia poëtica in Psalmorum interpretatione. Sic Marotus: *s'ainsi* pro *si ainsi.* *O* vero et *u* nunquam eliduntur.

Observandum est autem peculiariter foemininum adiectivum *grande*, in quo *e* consuevit etiam ante consonantes elidi, ut *une grand' besongne*, *une grand' chose*, *une grand' femme*, *une grand' meschancete.*

De Aphaeresi, Syncopa et Apocopa.

Aphaeresi non utuntur Franci, quantum nunc quidem possum meminisse. Illam enim Provincialium aphaeresim *Dieu nous pelle*, *s* quoque putide pronuntiato, pro *Dieu nous appelle*, nemo Francus emendate loquens patienter tulerit.

Syncopa in nonnullis vocabulis est usitata, ut *dônra* pro *donnera*, *amerra* pro *amenera*, *emprise* pro *entreprise*, *ovent* pro *ostevent*. Sed *baurra* pro *baillera* proprium est Parisiensium vulgo. Sic in quibusdam futuris verborum exteritur *e*, ut *envoîrai*, *ennuîrai*, *essuîrai*, *loûrai* pro integris *envoijerai*, *ennuijerai*, *essuijerai*, *louerai*, quae regularia sunt ab infinitis *envoijer*, *ennuijer*, *essuijer*, *louer*. Neque mihi dubium est, quin futura *recevrai*, *apercevrai*, *aurai*, ab infinitis *recevoir*, *apercevoir*, *avoir*, fuerint initio *receverai*, *aperceverai*, *averai* et si qua sunt alia huiusmodi.

Apocopa vero utimur etiam vulgo in quibusdam, ut *a'vous* pro *avez-vous?* *sa'vous* pro *savez-vous?* Illud autem *aga* pro *regarde* et *agardez* pro *regardez* Parisiensium vulgo relinquitur. Sed de istis hactenus.

Berolini, typis fratrum Unger.

De
Francicae linguae
recta pronuntiatione,

Theodoro Beza
auctore.

Genevae,
Apud Eustathium Vignon.
MDLXXXIIII.

Berolini 1868. **Parisiis**
sumptus fecit venundat
Ferdinandus Schneider. **A. Franck bibliopola.**

In eadem libraria opera virorum doctorum prostant haec:

Burguy, G. F., **Grammaire de la langue d'oeil ou grammaire des dialectes français aux XIIe et XIIIe siècles,** suivie d'un glossaire. 3 Vol. 8. 6 th. 20 sg. (frcs. 25).

— — **Thèmes pour traduire de l'allemand en français.** Edition de maître; texte français avec traduction à côté. 1 thlr.

Kayssler, Dr. L., **Die Lehre vom russischen Accent.** **Mit** Rücksicht auf die Accentuationssysteme verwandter Sprachen. 15 sgr.

Taciti Agricola. Ex Wexii recensione recognovit et perpetua annotatione illustravit **Friedericus Kritz.** Editio altera. 20 sgr.

Taciti Germania. Ex Hauptii recensione recognovit et perpetua annotatione illustravit **Friedericus Kritz.** Editio secunda. 18 sgr.

